
PHILIPPI A TURRE
EPISCOPI ADRIENSIS
DE ANNIS IMPERII
M. ANTONINI ELAGABALI
AC DE
Initio Imperii SEVERI ALEXANDRI
DISSERTATIO APOLOGETICA II.

QUA POTISSIMUM
Verus sensus PROGRAMMATIS CYCLI PASCHALIS
S. HIPPOLYTI restituitur & vindicatur,
NEC NON
ANTIQUA MILITARIA ITINERA
Romanorum & Græcorum illustrantur.

OPUS POSTHUMUM,
Addita Auctoris Vita a Cl. Viro
JUSTO FONTANINO
Archiepisc. Ancyr. edita, nunc Notis aucta.

ITEM
FRANCISCI TRECCII VERONENSIS
ORATIO IN FUNERE AUCTORIS.



VENETIIS, MDCCXXXXI.
Typis Jo. BAPTISTÆ PASCHALII.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

EMINENTISS. PRINCIPI

ANGELO MARIÆ QUIRINO

S. R. E. CARDINALI

BRIXIÆ EPISCOPO

LAURENTIUS A TURRE Decanus Ecclesiæ Forojuliensis.



Osthumam hanc Dissertationem, Tibi sisto, PRINCEPS EMINENTISSIME, Philippi a Turre Patrui mei, Episcopi Adriensis, viri profecto laudatissimi. Nec vero arroganter hoc dictum existimari velim. Eum siquidem, quem nostri hujus seculi initia ornasse plurimum, viri tum dignitate summi, tum doctrina præstantes tradiderunt, cur ego non laudem, mihique ad imitandum propo-

nam? De re hac te ipſum judicem appello, Cardinalis ampliſſime. Tu Philippum non noſti tantum, ſed ſtudia, ingenium, mores probaſti. Tu familiaritate, Tu litterarum commercio, Tu ejus hoſpitio, ea qua ſemper fuiſti humanitate, fruebare; Tu, ut uno verbo complectar omnia, Tu in amicorum, inquam, tuorum numero Adrienſem Epiſcopum recenſuiſti. Id ipſum in cauſſa fuit, ut Opus hoc tibi potiſſimum inſtituerem; ut ſi qua veteris benevolentiæ memoria ſuperſtes eſt, Auctoris nomen & famam auſpicio tegas. Res ſane qua de agitur, ex profana hiſtoria petita eſt: at quis neſcit, quantum ab illa præſidii & lucis Eccleſiaſtica accipiat? Ita porro illum circa profanas res obverſari videas, easque ita temperare Eccleſiaſticis, ut hæ ejus Operis principem ſibi locum vindicare pene videantur. Certe hac præcipue de cauſſa, iterum hanc molam verſavit Philippus, ut chriſtianæ antiquitatis ſingulare Monumentum propugnaret. Cl. enim Vignolius, alter & primus in amica hac litteraria concertatione adverſarius, ut quod propoſuerat ſyſtema, de numerandis annis Imperii Elagabali defenderet, Canonem Paſchalem Sancti Hippolyti Portuenſis, ut fertur, Epiſcopi, in marmorea ejusdem Cathedra, quæ in Vaticana Bibliotheca adſervatur, inſculptum,

non

non dubium modo facere, sed & falsi crimine damnare ausus est. Igitur vel una hæc ratio suadere mihi potuerat, ut tibi nuncuparem Dissertationem ad Ecclesiasticæ Historiæ utilitatem præcipuo consilio susceptam: in qua tuam agi caussam video, quum de monumento agitur, quod inter præcipua ornamenta numeratur Bibliothecæ Vaticanæ. Ejus, inquam, Bibliothecæ, cui te post Aleandros, Sirletos, Baronios, Casanates, Norisios, ceterosque, quorum unica charta explicatam historiam omnium oculis subjecisti, dignitate simili, pari scientia, eadem auctoritate jam præesse videmus. Gaude ejus Bibliothecæ ornamenta defendi, cui Tu non operam modo præstas, sed immensam quandam librorum supellectilem, irrevocabili, ut vocant, inter vivos donatione intulisti. Quamquam nihil est ex omni litteraria provincia, quod tibi afferri non possit, qui summis ingenii viribus totum disciplinarum orbem complexus, mira eruditionis ac doctrinæ monumenta protulisti. Habes profecto in his cur tibi placeas: attamen, quia vere sapis, hæc otia vocas; teque totum iis virtutibus addicis, quibus solis ad Deum accedentes vere beati, atque immortales efficimur. Hæ, ut ait D. Augustinus, *sunt bene vivendi artes*, sine quibus *omne quamvis*

lau-

laudabile ingenium superbia vanescit , & decidit . Amorem, dico, Dei, & proximi. Hoc inflammatus Diœcesim amplissimam multo labore, summa vigilantia gubernas. Hoc excitatus causam viduæ audis, pupillum suscipis, orfano es adjutor, pauperibus mensam paras, sinu foves & amplecteris: hoc duce, annuum censum abdicasti, ut Virgines Deo dicatas sublevares: hoc igne incensus sacras ædes ædificas, & reficis: quippe probe nosti te non dominum, sed Præpositum a supremo Patrefamilias constitutum; ut de Ecclesiæ redditibus congestæ in horreis messes, repositæque pecuniæ in ejus cultum & honorem, & in fratrum salutem dispensentur. Mirum est igitur, quantæ ex isto uberrimo divini amoris fonte virtutes oriantur; quæ, quamvis animo eas recondas, interdum erumpunt, seseque maxime produnt ad exemplum & admirationem populorum.

His ego permotus Dissertationem hanc Tibi uni inscribere statui; adductus etiam maximis benevolentiæ significationibus, quibus Auctorem prosecutus semper fuisti. De me vero quid dicam? Nihil profecto habeo, quo possim ad te accedere, sed quicquid gratiæ, quicquid favoris, quicquid in me benevolentiæ, atque humanitatis contuleris, hoc totum tuum erit:

illud-

illudque usurpabo, quod Æschines, cum Socratem sequi constituisset: *pauper sum, neque munus quod tibi offeram, habeo; me ipsum tamen trado totum*. Tu vero, PRINCEPS EMINENTISSIME, si nihil in homine invenis dignum te, hoc saltem me nomine excipe, quod ei Capitulo præsum, cui olim præfuit Sylvester Quirinus hujus Forojuliensis Ecclesiæ Decanus, juris Divini, humanique peritissimus; qui, si temporum ratio & rerum gestarum series non me fallunt, Episcopus postea Parentinus fuit. Dignitas hæc ipsa me tibi commendat, quæ cum multis ornatur titulis, tum hoc vel maxime, quod a tuis occupari meruit.

PRÆ-

PRÆFATIO.

DIcendi initio hoc nobis maxime præstandum esse videtur, ut eorum ex animo admirationem evellamus, qui post XXIII. ferme annorum spatium, ex quo Operis hujus Auctor mortalitatem explevit, nunc demum illud in hominum lucem, adspectumque prodire animadverterint. Verum potissimam, qua factum hoc sit, caussam reticere, clarissimi cujusdam viri memoriæ & dignitati consulturi, malumus, quam ejus injuria culpam qualemcumque a nobis avertere. Quod si leviores alias afferre licet, dicam; nec nobis tantum otii hisce præsertim postremis annis fuisse, ut scripta hæc versaremus; nec breve tempus doctis amicis debuisse concedi, qui ea relegerent, suisque additis gravissimis sententiis, comprobarent. Etenim sapientum virorum consilium judiciumque in edendis operibus posthumis ducimus maxime necessarium, hac nostra præcipue ætate, in qua plurimi sunt, qui, ut ait S.Greg.Naz. in Or. de moderat. in disp. serv. *cum rerum suarum tardi sint judices, in alienis tamen censoriam virgulam celerrime arripiunt*. Sane experientia compertum est, viros doctissimos, qui dum viverent, ex studiis suis magnum quod sibi nomen comparaverant, prolato aliquo post eorum mortem scripto, vel omnem aliquando amplissimæ famæ mercedem perdidisse, vel plurimum diminutam posteris tradidisse. Nobis certe posthumam hanc Dissertationem edentibus, nihil simile timendum videtur, qui id facimus, non suadentibus modo viris summis, sed propemodum impellentibus.

Quæ cum ita sint, juvat statim de ratione hujus Operis paucula præfari, ut si qua in parte expolitum excultumque videbitur, laus & honos Auctori suo maneat, quæ vero minus absolvit, ipsius dignitatem non minuant. Etenim rudem adhuc aliquibus in locis, ut invenimus, tabulam exhibere malumus, quam de nostro eidem incomtum aliquid apponere. Priora igitur XII. Capita omnibus suis fere numeris constare credimus. Caput XIII. & XIV. nondum castigata dicimus. Caput vero XV. quod postremum est, uti priora duodecim elaboratum, & ad umbilicum perductum esse, minime ambigendum putamus. Præfationem nullam, nullam Capitum summam, indicem rerum, titulumque quo opus inscriberetur, nullum: nullam denique nuncupatoriam Epistolam invenimus; quæ fere tamen omnia ad operis complementum desiderari nemo non videt.

Quæ autem ipsius Dissertationis origo, & caussa fuerit, quæ complectatur, quibusve cum Adversariis initum sit literarium hoc certamen, fusius a nobis nunc esset aperiendum. Verum, ne crambem

reco-

recoctam, uti dici solet, exhibere videamur, brevitati quam maxime licuerit studentes, Vitam nostri Auctoris iterum impressam damus, quam tertiæ editioni Monumentorum Vet. Antii Romæ anno MDCCXXIV. præmisit Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus, quem amissum jure doluit paucis abhinc annis tota literaria Resp. quemque Patruus noster, ex quo primo eum vidit, amavit plurimum, & maximis semper benevolentiæ, atque honoris argumentis prosequutus est. In ea etenim lector contendentium nomina, editasque Dissertationes inquirere: qua occasione, & quo temporum ordine lucem adspexerint, cognoscere facile poterit. Tota enim disputatio, & agitata quæstio cum summis, eruditissimisque viris versata est, D. Virginio Valsechio Monacho Benedictino, in Academia Pisana publico olim sacrarum literarum Professore, & Joanne Vignolio Bibliothecæ Vaticanæ tunc altero præfecto; eoque pertinet, ut Antonini Elagabali mors certo anno, mense, vel etiam die statuatur; *quæ totius disputationis veluti cardo est, & caput*, ut initio statim hujus Operis monemur. Nunc interim aliqua ex mente Auctoris nobis nota ad opus ipsum exornandum, perficiendumque, paucis liceat declarare.

Circa medium itaque Capitis I. asserit milliaria Romana recentiora aliquanto breviora esse antiquis. Vir Cl. Marchio Scipio Maffejus, cui si laudes addam, minuam; quemque honoris, gratiarumque habendarum causa nomino; quippe qui Dissertationem hanc, ea qua pollet in literis auctoritate, laudavit, probavitque; Is, inquam, in suo egregio Opere, *Verona Illustrata* Tom. I. lib. 6. col. 132. milliaria Romana antiqua recentioribus quinta parte breviora fuisse autumat: hoc evinci facile posse subdens, inito experimento dimensionis locorum, quæ nomen a distantia Urbium cujuscumque regionis principum habuere, & adhuc habent; ut sunt in agro Veronensi duo *Quinti*, duo *Settimi*; in agro Florentino *Vigesimo*; & ut alia ommittamus, adde in nostro Forojuliensi *Tricesimo*, *Terzo*, *Sexto*; quæ nomina etiamnum, & loca manent. Qui idem clariss. Vir in alio suo erudito Opere *Galliæ Antiquitates*, Epist. præcipue VII. doctissimo Nicolao Garellio Equiti inscripta, de milliaribus antiquorum disserens, hanc ut veriorem opinionem confirmat; nempe Romanorum milliaria hodiernis Italicis quincuplo fuisse minora. In hanc rem & Auctor noster ad calcem hujus Capitis I. notavit, in Itinerario Antonini *loca obscura ab intervallo nomen accipere, ut a Narbona ad Vigesimum, ab Aquileja ad Tricesimum*. Quod ex antiquorum, recentiorumque milliarium differentia erat demonstraturus. Inter ejus enim schedas locorum intervalla a porta Aquilejæ usque Tricesimum, & hinc usque Julium Carnicum, vulgo *Zuglio*,

multa cura ejus jussu a perito agrimensore signata invenimus. Cum vero Tricesimum oppidum fere medium consistat inter Aquilejam, & Julium Carnicum, a quo proinde potuerit etiam hoc nomen mutuari; fortasse erat ille locus mansioni, sive mutationi, in hac militari via deputatus. Et Julium Carnicum, etiam *Castrum Juliense* nuncupatum, legionibus Romanis locus erat ad hyemandum, aut ad stativa Castra, nempe unius diei, vel noctis ad quiescendum exercitibus statuta mansio. Ex quibus paulatim factæ sunt Urbes, Oppida, municipia, & loca alia munita; ut advertit Samuel Pitiscus in suo Lexico Antiquitatum Romanarum, in verbo *Æstiva*, & *Castra*.

Interim, ut ad nostra unde paulisper digressi sumus, revertamur: Quum quinta saltem parte milliaria Romana breviora recentioribus essent; si & hoc perpendisset Cl. Vignolius, haud equidem tam incredibile ei visum fuisset, exercitus Romanorum, Græcorumque justo diurno itinere xx. & xxv. potuisse milliaria conficere. Sed potius esse contra veritatem quod illi placuit, VIII. nempe, aut ad summum X. M. P. in diem perfecisse. Quid insuper, si consuluisset laudatum Lexicon Pitisci in verbo *Milites*? Ubi posteaquam ostendit, quæ, & quot pondera & sarcinas ferebant pedites Romani, ita ut jumentis & mulis assimilarentur: *& sic onusti*, ait cum *Bergero de viis milit. l.* IV. *sect.* 20. §. 7. *iter grande sæpe conficiebant. Tyrones suos adsuefecit Vegetius l.* 19. *pondus bajulare usque ad sexaginta libras, & iter facere gradu militari. Quid ergo, in totum diem? si de triginta, aut quadraginta dicam* (milliaribus) *non aberrem. Hoc mihi de Macedonibus adsitebitur Polyæn.* IV. 2. 10. *Philippus exercebat una cum armis trecenta sæpe stadia ambulare, ferentes galeas, peltes, ocreas, sarissas, & præterea commeatum, & quæcumque vasa quotidiani usus. Reddidi fideliter ipsa verba: & nonne hæc sunt milliaria triginta septem?* Ita Pitiscus. Nec de accelerato itinere, sed de justo militari gradu, quo tyrones in militiam relati, incedere oportebat, hæc intelligamus; ut Capite I. præsentis Operis, ex allato eodem loco Vegetii aperte colligit noster Auctor.

Equidem, ut & hoc addam, præter omnium fidem erit, Romanos milites non ultra octo, aut decem milliaria in diem explevisse, si præsertim, ut diximus, antiqua cum recentioribus conferantur. Nam vix animo comprehendere valeo (quamvis non ignorem, singulas expeditiones justa unius diei mensura haud contineri) tot, tantaque facinora, quæ ex illorum temporum historia habemus, potuisse conficere, legiones atque exercitus in longinquas provincias traducere, difficillima itinera in Græciam,

Asiam,

Asiam, atque in ultimas Orientis oras perficere; tot explere bella, urbes expugnare, domare Nationes, & per universum pœne Orbem victricia arma, atque imperium proferre tam brevi tempore; nisi pro comperto habeamus Romanos, non tam virtute, quam celeritate agendi ceteris Nationibus longe præstitisse. Verum de his abunde satis. Neque enim in re tam clara, & ab eruditis omnibus, si Vignolium demas, probata, tempus ultra lectoris fastidio est terendum.

Capite V. occasione Inscriptionis a Panvinio relatæ, in qua legitur dedicatio Serapidi ab Elagabalo facta; ut hanc suspectam, imo falsam probet, inter alia, haud novum esse, ait, etiam oculatissimos in re antiquaria Scriptores minus accurate excripsisse, vel ab aliis corrupta similia monumenta aliquando prodidisse. Quod duobus maxime exemplis sibi demonstrandum sumserat. Horum alterum præbet Inscriptio Adriæ extans, quam pessime depravatam ab iis fuisse, qui eam primi protulere, se jam alibi ostendisse meminit. Cujus interpretationem Trevoltienses Patres inseruere in suis Memoriis anni 1703. Maii, & etiam Augusti mensis. Eam commendavit doctissimus vir Gisbertus Cuperus, quo cum Philippus eam per litteras communicaverat, occasione interpretationis alterius lapidis in agro Asulano reperti. Ad quem suum studium erudita dissertatione quum contulisset vir Cl. Michael Lazzari, quæ legitur inter *Opuscula Scientifica* viri pietate, & literis commendatissimi D. Angeli Calogeræ Tom. xv. ait, nostrum Episcopum an. 1712. cuidam per epistolas secum consulenti, negasse harum vocum interpretationem, quæ nusquam ei occurrissent, nempe *Escas Rosales & Vindemiales*, se pertentaturum. At ut sciamus & super has, quarum hæc similia profert Inscriptio Adriensis, *ad rosas & escas ducendas*, licere credidisse sibi audere aliquid; hic subjicimus, quæ laudatus Cuperus rescribit, cui suam Episcopus aperire sententiam maluit, cujus auctoritati omnino deferendum esse sciebat, quam alteri, a quo dicitur consultus; ex cujus approbatione parum certe fructus & laudis se capere posse sperabat. Scripserat Philippus Cl. Cupero *Idibus Decembribus* anno 1712. ut initio statim responsionis proditur, dum tarditatis literarum suarum caussas affert, & excusationem petit. Datæ enim sunt *in Villa Oxensi vel Tusculano meo prope Daventriam*, *ipsis Non. Sept.* 1715. & exinde hæc habet: *Nunc venio ad pulchram illam tuam Inscriptionem, quæ profecto mihi venit acceptissimo, & quo nomine gratias tibi, quas par est, ago libens lubens. Quæ ad eam elucidandam in medium adfers, recte se se habent, nec ego eadem emendare possum. Existimabam nonnunquam* ESCAS RO-

SALES *esse patinas, vel edulia, quibus rosæ intritæ vel additæ forent, quales Apicio lib. 4. c. 2. appellantur* PATINÆ DE ROSIS, *ubi ab eruditis commode advocatur Athenæi* ROSACEA OLLA, *vel compositio talis edulii. Sed obstare huic explicationi mihi videtur omnino* ESCÆ VINDEMIALES, *nisi per eas debeamus intelligere patinas, ut sic loquar, de vino vel uvis, sive escas, vel cibos, quibus uvæ immistæ erant, vel vino mustove præparatos. Apud Du-Cangium ex glossis ab ipso correctis legitur* ῥοδισμός, HÆC ROSALIA, HOC ROSALIUM; *sed nescio an hic locus hujus loci sit; atque a me vel ideo adducitur, quia a nostris, quo ad literas & compositionem, vel terminationem, ut loquuntur,* ROSALIBUS *non alienum est. Atque ita quidem pensum meum absolvi, & video me peccaturum in humanitatem tuam, & erga me benevolentiam, si ad te non mitterem aliquid, quod dignum est eruditione tua perfecta, & ingenio præstanti. &c.*

Cap. VI., ut difficultatem illam expediret, quam ipse, suique adversarii omnium maximam jure fatentur, nempe modum conciliandi numismata Elagabali ejus Tribunicia Potestate V. insignita, cum ejusdem imperio, & annis; nulla alia verior, aut securior via ei visa est ad hunc nodum extricandum, quam si Trib. eam Potestatem inchoandam esse ostenderet *a die* XVI. *Martii ann.* 218. *quo die salutatus fuit Imperator a militibus; non vero a die* XVI. *Maii, ut vulgati Dionis, seu Xiphilini textus tradunt.* Propterea que exinde conjectavit, *ob similitudinem principis literæ utriusque mensis librarios Majum pro Martio in textum Xiphilini conjecisse.* Attamen quum hanc conjecturam Vignolius minime admittat, qui negat Xiphilinum mensium nomina per unicam initialem literam scripsisse: plura hoc loco ab Auctore nostro proferuntur, ut iterum probatum faciat, facile potuisse a librariis *Majum* pro *Martio* in Xiphilini textu conjici. Auctoritatem inter alia affert Camilli Peregrini, in Castigationibus ad Lupum Protospatam, quam hic non piget integram referre, ut eam legimus ad annum 1098. Tom. II. Scriptorum Rerum Italic., ubi annus captæ Urbis Antiochiæ, & Capuæ inquiritur: *De anno*, inquit, *captæ Antiochiæ consentit Gullielmus Tyrius lib. 5. & recentiores omnes: non sic de mense = Igitur in Lupo mensis Aprilis suppositus est pro Junii, sicut ad eandem normam hoc pariter loco dicit Capuam captam a Comite Rogerio mense Martii, qui Aprilem præit, pro Maii, qui antecedit Junium = Capua itaque recuperata est, ut citius extremo mense Majo, atque ingruente æstate, numerandi cum videantur quadraginta dies obsidionis = Verum enim vero mensem* MARTIUM *pro* MAJO *sæpe alias suppositum manifestum est &c.* Adeoque quis inverisimile, aut non potius verisimile dicat a Græcis, quos incolas habuit Calabria Normannorum ætate,

nimi-

nimirum ætate Xiphilini, Codices aliquos ejusdem excriptos fuiſſe, in quibus ſecundum ejus regionis conſuetudinem menſis Martius literis tantummodo capitalibus, fuerit indicatus, qui poſtea ab aliis amanuenſibus in Majum ſit traductus? Hanc equidem, de qua Peregrinus, conſuetudinem deſignandi nomina propria capitalibus literis, paſſim animadvertimus in ſubſcriptionibus Conciliorum, in Epiſtolis, Diplomatibus, & pluribus ſimilibus aliis monumentis; adeo ut ſæpius maximæ fuerint exortæ lites in diſtinguendis nominibus eorum, qui ſimili litera inchoantur. Qui mos, cur etiam in menſium nominibus ab eadem litera initium ducentibus, aliquando uſurpari non potuit? Hinc enim fortaſſe manarunt plurimæ menſium permutationes, quas pridem eruditi in ſubſcriptionibus legum utriuſque Codicis animadverterant; ut noſter Auctor ſe ſuſpicari, notatum reliquit.

Et quoniam auctoritate etiam, & exemplo antiquarum Inſcriptionum hic uſus in hoc Capite VI. firmatur, addere & nobis liceat exemplum alterum, certe non alienum, inſignis & vetuſtiſſimi lapidis. In magna Collectione Inſcriptionum Jani Gruteri, ſtudio Joannis Georgii Grævii edita, Tom. I. part. II. pag. CCXCVI. editionis Amſtelodamenſis, a me Utini perluſtrata in Bibliotheca Patriarchali, quam Illuſtriſs. Daniel Delphinus Patriarcha Aquilejenſis, hodie librorum numero & delectu ita auget atque ornat, ut virtutum omnium ſplendore totam ampliſſimam Diœceſim colluſtrat; in hac Collectione, inquam, ubi Tabulæ Triumphorum, Ovationumque Romanorum Ducum, in Capitolio collocatæ, deſcribuntur, columna ſecunda ſic lego:

A . MANLIVS . T. F. TORQVATVS. ANN. DXII.
ATTICVS. COS. II. DE . FALISCEIS . IV. NON. M.

quis non videt ultimam literam M. æque poſſe quarto Nonas *Martias*, quam *Majas* interpretari?

Capite XI. S. Hippolytum Cyclum ſuum, & Chronicon anno primo Imperii Alexandri ſignaſſe, non annis Conſulum probatur; eumque morem retinuiſſe, qui ea ætate temporum hiſtoriam texuere, & præcipue veteres Patres Euſebium, Clementem Alexandrinum, Irenæum, Hieronymum, & alios. In hanc rem, quod ubique ſint obvia, exempla proferre ex Martyrum antiquiſſimis Actis, quæ Cæſareo temporum charactere paſſim notantur, ſuperfluum & nos judicamus. Hoc tantum addentes, ſi non male ſuſpicatur auctor noſter, hunc morem fluxiſſe in Chriſtianos Scriptores ab Evangeliſta Luca, qui Nativitatem D. N. J. C. anno

no Imperatoris signavit; eundem pariter S. Evangelistam eadem Cæsarea epocha, nulla vero Consulum, etiam initium prædicationis S. Joannis Baptistæ notasse. In Martyrologiis item Usuardi, & Romano, in quibus variæ epochæ exhibentur die 25. mensis Decembris, illa Consulum omnino ommittitur. Et demum, quam verum sit Chronologiam Cæsaream, fundamentum & regulam esse Ecclesiasticæ, satis aperte demonstrat ipse S. Hippolytus, qui illam cum suo Canone, & Cyclo annectit.

Quod tandem attinet ad Caput xv., in quo Cl. Valsechii systema expenditur, quo conciliare nititur nummos Elagabali Tribunicia Pot. V. inscriptos, cum annis ejus Imperii tribus, mensibus novem, & diebus sex a Dione consignatis: & tanquam falsum atque incredibile rejicitur; ne dicta repetam, cum ipso Claro Viro libenter concludam: Penes eruditos viros, qui nullo partium studio laborent, esto judicium. Sed, & cum nostro Auctore, si quæ incommoda abs se allatæ conjecturæ, jam pridem depulsa, adhuc habent, patiar libentissime; dum, *quæ premunt*, ut ipse ait, *Valsechii systema ejusmodi sunt, ut se ab iis relevare nunquam sperare possit*. Hinc propositi sui, ut credimus, Valsechium minime pæniteret, nuncium nempe misisse huic controversiæ (ceteroquin nec a religioso viro, ut ipsemet initio Præfationis postremæ suæ Dissertationis fatetur, contemnendæ) ut gravioribus sanctioribusque studiis, pro instituti sui munere, tempus impenderet; quum quid reponi tandem possit, nemo fortasse unquam videbit.

Integram interim Cl. Vignolii Dissertationem II. Apologeticam *de Anno Primo Imperii Severi Alexandri Aug.* per Capita singula Dissertatione hac altera Apologetica item II. expendit Philippus a Turre Adriensis Episcopus; &, si nostra nos non fallit opinio, etiam argumenta singula in ea contenta, sententiæque sunt convulsæ. Nec non & Cl. Valsechii alterum systema denuo in Dissertatione *de Initio Imperii Severi Alexandri Aug.* propositum, labefactatum omnino est. Ceterum communis illorum non reticenda laus est, quam eruditi de hac literaria amica concertatione verba facientes, eis tamquam propriam concesserunt; ita ut & exemplum ceteris tradant quod imitentur. Dico, contentionis genus perurbanum, dulce, festivo quodam jucundo lepore conspersum: quod dicendi prudentia, atque gravitas moderatur: sine probro, sine contumelia: in quo ratio & veritas victoriam aucupantur; lenitate tandem quadam æquabiliter profluens sine judiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis, quale nimirum ab Oratorum maximo laudatur. Hinc parvis profecta initiis, in magnum veluti exarsit incendium, ex uno Anniæ Faustinæ Augustæ num-

mo

mo mota quæstio. Quod quum præter spem Adriensis Episcopus excitavisset, ab se extinguendum tamen fore ratus, hac iterum Dissertatione II. in arenam descendere constituit; non tantum rebus & nomini suo consulturus, sed, ut ipsemet testatur, magis ut venerabile S. Hippolyti Christianæ antiquitatis singulare monumentum suæ fidei restitueret. In suspicionem enim falsitatis, aut mendi a Cl. Vignolio illud deductum, iisdem ab adversario congestis auctoribus, refellitur; & auctoritas ejusdem Sancti Episcopi, & tota inde dependens Chronologia (quæ alioquin magno cum Ecclesiasticæ, tum profanæ historiæ damno, subverteretur) firmatur, vindicaturque.


Superest modo, ut de Inscriptionibus, quas ad calcem operis rejecimus, & quarum mentio fit Cap. XIV. breviter dicamus. Ex iis Auctor sex tantum, quæ sunt in ordine primæ, collegit: nam reliquas, quas se additurum promiserat, frustra inter ejus schedas conquisivimus. Hinc earum desiderio plus soliciti effecti, eas ex agro Solvensi ut descriptas haberemus, fecit, singulari qua est humanitate, Sigismundus, Comes de Attemps Goritiensis cum nobilitate clarus, tum summa & animi, & ingenii spe præditus. Eas damus ut accepimus; interclusum enim jam per fere duorum annorum spatium cum finitimis Germanis commercium, dum pestilentiæ suspicione laboratum est, prohibuit eas propriis oculis, ut cupiebamus, perlustrare. Priorum sex discrepantes tres lectiones seposuimus, quales Patruus noster habebat; ut quæ retinendæ sint, & an reliqui quoque lapides fideliter fuerint exarati, dijudicent eruditi. Fragmentum etiam annectimus alterius Inscriptionis, paucis ab hinc annis effossæ in horto urbanæ nostræ habitationis, literis majoribus, & vere Romanis. Utinam, & quam summopere deesse dolemus, pars reliqua; & si adhuc nobis ejusmodi lapides invidet oblivio, aliquando e tenebris eruantur. Speramus equidem patriam urbem nostram, novis hisce prisci ævi monumentis adauctam, præsidiisque firmatam, decoris & ornamenti plurimum accepturam; nec non & sua Romanæ Coloniæ jura & honores a novis opinionibus vindicaturam.

Tandem, quum hisce diebus ad manus nostras pervenerit elegans, atque erudita Oratio Cl. Viri Francisci Treccii Veronensis, in funere nostri Episcopi, antehac nusquam vulgata; ut per nos tandem lucem aspiceret, hoc loco interseri optimo jure posse judicavimus.

Addo, quod argumenta singulis Capitibus præmissa, minus concinne digesta prodierunt; quibus paullo melius consuluissem, nisi me, dum Venetiis agerem, rerum mearum ratio in patriam subito revocasset.


Nunc

Nunc enim demum animadverto, monendum saltem fuisse lectorem, quænam Adversariorum præcipua Capita locis singulis oppugnarentur. Quæ una reliqua est dimovendæ culpæ ratio, sic habeas. In Capite I. & II. refelli Vignolii Caput I. In Capite III. IV. V. & VI. item oppugnari ejusdem Capita III. IV. V. & VI. In Capite VII. Caput XIII. & XIV. Valsechii. In Capite VIII. iterum Vignolii Caput VII. In Cap. IX. Caput VIII. In Cap. X. XI. item Caput X. & XI. In Cap. XII. Caput XIII. XIV. XV. & XVII. In Cap. XIII. Caput XVI. In Capite demum XV. Cap. XV. & XVII. Valsechii argumenta convelluntur.



PHI-





Philippus a Turre
Episcopus Adriae
Vix. A. LVIII. M. IX. D. XXV. Ob. 25. Feb. MDCCXVII.

PHILIPPI A TURRE
ADRIENSIS EPISCOPI
V I T A.

PHILIPPUS A TURRE, cujus Vitam, seu potius Elogium historicum, *Monumentis veteris Antii* præmittendum, scribere adgredior, suis magis, quam alienis virtutibus excellere studuit. Claro enim genere ortus, hanc laudem vir probus suam minime reputavit, sed animi atque ingenii peregregiis ornamentis a summo rerum opifice liberaliter instructus, hæc ita coluit, ut non modo inter Italos, ubi natus altusque adoleverat, sed apud exteros quoque, Musarum sacris initiatos, magnam famæ celebritatem reliquerit.

I.

Majores ejus, qui gryphen dimidium colore subrufum in area aurata stantem, gentilicium insigne, ad posteros transmiserunt, (1) sub finem sæculi XIII. Mediolano in *Patriam Fori-Julii* profecti, istic in *Civitate*, unde tota regio nuncupatur, sub avito *Canaliorum* nomine consederunt. Siquidem *Forum-Julii* nomen est *civitatis* & *regionis*, ut *Venetiæ* & *Monsferetrius* in Italia; in Galliis vero *Bituriges*, *Cadurci*, *Andegavi*, *Cenomani*. Quam enim antiqui primo *Carnorum*, deinde *Aquilejensem regionem*, & postea *Venetiam inferiorem*, hanc ipsam, Aquileja excisa, medii ævi scriptores a principe urbe, Ducum & Patriarcharum sede, *Forum-Julii* dixerunt. *Patria* etiam dicta est, more passim, in Italia præsertim, inducto, ut terrarum tractus, qui olim *regiones*, inclinante latinitate, *patriæ* dicerentur. Hoc scriptores illarum partium quum ignorarent, fabulosas nominis caussas excogitaverunt. Geographo Langobardo, quem Placidus Porcheronius publica luce donavit, & Paullo Diacono *Fori-Julii* municipi solemne est *patriam* pro *regione* usurpare. Loca non indico, totis ferme libris persæpe obvia. Hoc idem aliunde comprobat Caspar Barthius in Adversariis libro XLV. cap. XIX. & lib. LIX. cap. XIV. Uberius deinde in Commentario ad Philippidem Guillelmi Britonis lib. VII. pag. 526. & Carolus Cangius in Glossario Latino. De Sancto Everardo, post Baldricum medio sæculo IX. *Fori-Julii* Duce, exstat hymnus per-

vetuſtus in *Gallo-Flandria* ſacra & profana Jo. Buzelini lib. I. cap. XIX. pag. 104. in quo ſic canitur.

Dum Ludovici filius
Imperaret Lotharius,
Erat hic hujus PATRIAE
Princeps, & Dux Italiæ.

Huc pariter facit Friderici Ubaldini gloſſarium, Documentis Franciſci Barberini ſubjectum, in quo v. *bigordare* legitur PATRIA *Tuſciæ.* Scripſit Barberinus exeunte ſæculo XIII. Vox, cujus notio in Miſcellaneis quoque Leibnitianis animadvertitur pag. 425. & apud Gerardum Jo. Voſſium in libro VI. de Vitiis Sermonis, eodem ſenſu, antiquitus pervulgato, ſed modo non ita, in linguam quoque Italicam fluxit. Supereſt enim apud ſcriptores vernaculos primæ notæ. Magnus poeta Dantes, Barberino æqualis, ea utitur in Cantu x. *Inferni*. Sæpe vero Sanctus Bernardinus Senenſis in codice ſacrarum concionum, quem, formis nondum impreſſum, paucis ab hinc annis contrectare licuit Florentiæ apud ſpectatiſſimum Senatorem & ſummum amicum Philippum Bonarotium, Magno Etruriæ Duci a cognitionibus. Denique *Patriæ* nomen uni oræ *Fori-Julii* adhæſit, cujus populos M. Antonius Sabellicus inde *Patrianos* appellat decade II. Hiſtoriæ Venetæ lib. IX. Exſtat Vita Reginæ Cleopatræ, a Julio Comite Lando Italice ſcripta, quam A. D. 1555. Antonius Franciſcus Donius nuncupavit *Ludovico Rangonio*, PATRIAE *præfecto, ſummoque Reipublicæ Venetæ copiarum ductori*. Hæc *Patria* eſt regio *Fori-Julii*, jam ferme tota Venetorum imperio ſubjecta.

II.

Quæ vero *Civitas*, ſic vulgo appellata, & ad octavum ab Utino lapidem ſita, jam dictos *Canalios* excepit, notiſſima quondam fuit colonia, jure civium Romanorum donata. Æque ac *Altinum* Venetiæ urbs, & *Florentia* Tuſcorum, poſtea in *Tribum Scaptiam* relata, una cum reliquis *Carnis* eidem *Venetiæ* acceſſit. Ingruente barbarie dicta eſt *Civitas Auſtria:* quod nomen, rurſus illo vetere *Fori-Julii* adſumto, jamdudum ferme exuit. Ne de alterutro dubitemus, utrumque retinent veteres tabulæ A. D. 1195. exaratæ *in Civitate Fori-Julii, quæ dicitur* AUSTRIA. Liutprandus Rex Langobardorum in Legibus, per Baſilium Jo. Heroldum vulgatis, more, Francis antiquioribus etiam communi, *orientalem* & *occi-*

den-

dentalem regni Langobardici partes, lingua suæ gentis *Austriam* & *Neustriam* compluries appellat. Heroldi codicem adi pag. 208. 210. 212. 225. 227. 239. deque etymo vocum post Olivarium Uredium in Historia Comitum Flandriæ pag. 293. Consule Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum pag. 68. & 372. sique vacat, Jo. Isacium Pontanum in Originibus Francicis lib. v. cap. VII. *Austriæ* & *Austrasiæ*, ut *Neustriæ* & *Neustrasiæ*, eadem est ratio. Si lubet, vide etiam Vossium libro VII. de Vitiis sermonis, Nicolaum Serarium in notis ad Epistolam CXXVIII. Sancti Bonifacii martyris, & Petrum Louwium ad Militiam sacram Jo. Molani pag. 142. *Austriæ* & *Neustriæ* regiones Italicæ occurrunt in *Desiderii* & *Adelchii* Langobardorum Regum rescriptis apud Cornelium Margarinum in Bullario Casinensi tomo II. pag. 11. 12. 17. *Austriam* solam habet Paullus Diaconus lib. v. cap. XXXIX. & Descriptio Veronæ, Pippino Rege Langobardorum inconcinnis rhythmis confecta, apud Jo. Mabillonium in Analectis tomo I. p. 374. ubi *terminus* Veronensis ab *Austriæ* (non *Austræ*, ut mendo typographico ibidem legitur) *terræ finibus* abesse pronunciatur, ab hisque ad illam clarere famam *Hannonis* tunc viventis Episcopi. *Terminus*, *terra*, & *fines* illo ævo *regiones* & *provincias* significabant, ut periti norunt, nosque ipsi alibi adnotavimus. Sed & S. Paulinus Patriarcha Aquilejensis in *Sacrosyllabo*, quem A. D. 794. coram Carolo Magno, Francofurtensi Concilio obtulit, apud Labbeum tomo VII. pag. 1022. *Austriam* & *Neustriam* Italicas memorat. Ait enim, se cum *collegis*, *fratribus*, & *consacerdotibus suis Liguriæ*, AUSTRIAE, HESPERIAE, *Æmiliæ*, Elipandi insanias refutare paratum. Labbeus ad oram pandit, se *Austriæ* vocabulum non assecutum. Corrigendum enim, & in *Istriam* mutandum putavit. At quomodo hoc stare potest, si *Austriam* & *Istriam* distinctim legi mox audiemus? Quæ Latinis *Hesperia*, Longobardis fuit *Neustria*, Græca & barbara vocum origine utrobique spectata. Audi Macrobium libro I. Saturnal. cap. III. HESPERIA *Italia*, *quod* OCCASUI *subjecta sit*, *nominatur*. Ita & *Neustria*. Ne vero ambigi possit, quin *Austriæ* nomenclatione *Venetia inferior*, de qua in Notitia Theodosiana fit mentio, seu *Fori-Julii* Ducatus comprehenderetur, testimonium insigne ex vetere hymno in laudem Sancti Hermagoræ, *Aquilejæ* civitatis & *Austriæ* regionis apud Deum, pro quo martyrium fecit, patroni, huc refero.

Cujus amore, capite
Truncatus es, ut hodie
Sublimet Aquilegiam
Urbem, fovendo AUSTRIAM.

Acta quoque ejusdem martyris apud Boninum Mombritium in Sanctuarii tomo altero pag. 2. urbem *Aquilegiam* AUSTRIAE *provinciæ* retinent; unde ævum, quo digesta sunt, facile colligas. Ad hæc *Austria*, ut olim Venetia, *Istriæ* conjungitur in Capitulari Pippini Regis Langobardorum tom. 1. pag. 543. Baluzianæ editionis. Mandat enim de fugitivis, *ut tam in* AUSTRIA, *quam in* ISTRIA, *quamque in Æmilia & Tuscia seu littore maris, per omnia loca perquirantur*. Hæc, a me olim primitus, sed fortasse leviter, tacta, nunc pro re nata, locupletius propterea explicari decuit, quod vetustatis ignari, vocum geographicarum sæculi semiprisci originationes aliunde perperam traxerint, quodque aliis indicta ab hoc loco aliena non sint.

III.

Progenitores ergo Adriensis Episcopi in *Civitate Austria*, seu *Fori-Julii*, ubi primo substiterant, moram fixerunt, & *Canaliorum* nomine paullatim, ut fit, obsoleto, deinceps ex situ urbis, in quo interdum ædes habuerunt, a *Burgo pontis*, mox *Gabrios*, deinde *Tonios* dictos constat, vocabulis corrupte deductis ex *Gabriele*, *Antonio*que, primos illos *Canalios* subsecutis. Demum a *Turre* perantiqua, inque patriis annalibus memorata, quæ in ejusdem familiæ ædibus etiamnum surgit, cognomentum serius duraturum acceperunt. Eas ædes, *Turre* munitas, *Asquinus* castri *Varmi* dominus, quingentis ab hinc annis exstruxerat, pro more scilicet unis dynastis & optimatibus usurpato. Mos notissimus est. Lubet eum nihilominus testimoniis veterum comprobare. Ricobaldus Ferrariensis, hujus ævi scriptor, ab Jo. Georgio Eccardo recens vulgatus in Corpore historico tomo I. pag. 1171. hæc habet: *nobilium locupletum erat gloria* TURRES *habere quo tempore urbes Italiæ singulæ multis* TURRIBUS *inclytæ visebantur*. Ricobaldo antiquior Beniamin Judæus Tudelensis ex regno Navarræ in Itinerario, quod scripsit Alexandro III. Pontifice, pag. 9. editionis Elzevirianæ, *Turribus* ait senatorias Genuatium familias distingui. Eodem ævo Fridericus I. Imp. Ticinensium & Placentinorum *Turres* dejecisse narratur apud Andream Quercetanum in Scriptoribus Normannicis pag. 995. Porro ædes & *Turris* Asquini Varmii ad *Picossios* Aquilejenses primum, deinde A. D. 1319. ad *Canussios*, & demum A. D. 1329. ad nostri atavos devenerunt, ipsa *Turre Asquini de Varmo* in tabulis, a me visis, semper expressa. Iidem *Canalii a Turre* per Aquilejenses Patriarchas, tunc rerum dominos, perhonestis muneribus & beneficiariis juribus ornati,

nati, mox præcipuis etiam cognationibus claruerunt. Eorum aliquos laudari memini a M. Antonio Nicoletto, scriptore sæculi XVI. in Vitis, nondum editis, eorundem Patriarcharum, Bertrandi scilicet, & Joannis ex Moraviæ Marchionibus, qui sæculo XIV. floruerunt. Ante Nicolettum Jacobus Valvasonius in Descriptione Fori-Julii, nunquam typis excusa, inter generosas XXVI. Civitatenses familias *Canaliis* sive *Turriis* locum quoque adsignavit.

IV.

Horum soboles *Marius a Turre*, & (2) *Camilla* ex prænobili *Frumentinorum* gente, nostrum progenuerunt: qui natus est Kalendis Majis A.D. 1657. in ipsa *Civitate Fori-Julii*. Mater hunc unum ex filiis raro exemplo ipsa lactavit. Hoc quanti referat, notatum vidi a summo viro & Cardinali Silvio Antoniano in libro I. cap. XXXV. de *Educatione Christiana*: quod opus egregium auctore S.Carolo Borromæo scribendum suscepit. *Philippus* magnæ indolis, & summæ in literas propensionis ab ineunte ætate specimen præbuit. Quare adolescens liberalibus disciplinis, & sacra ac civili jurisprudentia imbuendus Patavium, Musarum domicilium, missus est, ubi in scholis presbyterorum Congregationis Somaschæ ingenuas artes doctus, Sebastianum Macrum Philosophiæ prælectorem audivit. Mox clarissimis publici Gymnasii præceptoribus strenuam operam dedit: quos inter memorandi Octavius Ferrarius, eloquentiæ professor insignis; & præter alios, Cæsarei juris interpres Jo. Michael Pierrucius Collensis Tuscus, Casparis Scioppii, apud illum extincti, olim hospes atque heres. At sciendi ardor *Philippum* ad aliarum etiam facultatum prælectores impigre audiendos impulit: quos inter non mathematicos, astronomosque, sed nec medicos & anatomicos, licet suo instituto minime congruos, inauditos præteriit. Hinc factum, ut postea de corporis humani structura pro re nata egregie differentem medici etiam peritissimi mirarentur. Ubi Themide & Musis annuentibus juris divini & humani sacra ei penetralia patuerunt, doctoris insignia in utroque suscepit (3) die XXIX. Januarii A. D. 1677. ætatis XIX. promotore usus Antonio Vaira, quem postea successorem habuit in episcopatu. Domum revocatus, ut erat in eo vis magna, discendique aviditas incredibilis, rerum difficillimarum studio accensus, philosophicis, præsertim illis, quæ ab experimento dicuntur, & astronomicis disciplinis, se uno ferme magistro usus, haud perfunctoriam operam dedit. De rebus quoque Foro-

Julien-

Juliensis Ecclesiæ illustrandis cogitavit, ab Joanne Delphino S. R. E. Cardinali & Patriarcha Aquilejensi Canonicus patriæ Basilicæ adlectus : quo tempore ad ruspandas in Canonicorum tabulario insignes, quibus abundat, medii ævi reliquias, animum adpulit, priscaque sæcula memoria repetens, literatos lapides hic & illic dispersos lustravit. Sed librorum copia, his studiis pernecessaria, tantum non destitutus, ut desiderium expleret, Romam cogitavit A. D. 1687. ætatis suæ tricesimo.

V.

Urbem ingeniorum altricem ingressus, ad omnem rem literariam, sacram in primis, penitius noscendam totis ingenii sui viribus *Philippus* incubuit: quo factum, ut, parariis sanctioribus Musis, ad summorum procerum benevolentiam, quæ nimirum a virtute ducitur, facilem sibi viam straverit. Ex his post demortuum Carolum Pium S. R. E. Cardinalem, præcipuus fuit ejusdem amplissimi ordinis Leander Colloretus, omni laudum genere illustris: qui conterranei sui non vulgaribus ingenii animique ornamentis inspectis, & voce omnium probatis, magno cum amore officiisque complexus est: quod, ut de aliis jam nihil dicam, æque præstitit vir purpuratus & Sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecarius Hieronymus Casanata, magnus doctrinarum patronus. Innotuit etiam quotquot tunc Romæ iis conspicui censebantur, quorum aliqui adhuc supersunt. Silentio preteriri non debet vir probus & literarum ac literatorum sedulus cultor Jo. Ciampinus, quique ad eum confluebant, Emanuel Schelestratius, Raphael Fabrettus, Laurentius Alexander Zacagnius, Philippus Bonarotius, Franciscus Blanchinus, & Josephus Maria Tomasius, summæ pietatis & Christianæ eruditionis nomine inclytus, dein S. R. E. Cardinalis, in cujus Elogio historico alias *Turrii* mentio facta est. Ibidem primo vidit Godefridum Guillielmum Leibnitium notum illum Germanum, cum quo variis de rebus sermones habuit. Ab his in amicitias susceptus est, inque scriptis aliquorum laudatus. Iisdem auctoribus præclaro eruditorum cœtui in Aula Collegii Urbani, quod a *propaganda fide* appellatur, singulis mensibus cogi solito, & a lectissimis viris frequentato, nomen dedit, ubi multas de theologicis dogmatibus, de veteri Ecclesiæ historia & disciplina, deque sacris Conciliis, & horum Canonibus disceptationes habuit, ab auditoribus aure benevola exceptas. Interea factum, ut Innocentio XI. Pont. Max. suffectus Alexander VIII. Josephum Renatum Imperialem, magnarum virtutum gloria florentem, ex summo ærarii Pontificii Quæstore die XIII. Februarii

rii A. D. 1690. sacro Senatui adscriptum, mox in Ferrariæ Ducatu pro S. R. E. Legatum pronunciaret. Per eximios & probatos viros de virtutum præstantia, quibus *Turrius* eminebat, ipse alioqui hujusmodi hominum acerrimus judex, optime edoctus, illum sibi præ aliis a cognitionibus in tanto munere esse voluit: qui quidem expectationi de se conceptæ, ipso purpurato viro locupletissimo teste, cumulate respondit.

VI.

Res postulat, ne Abbatem Sextensem Justum Fontaninum, quem noster, quoad vixit, sibi conjunctissimum habuit, indictum hoc loco abire patiamur. Quum *Turrius* adversæ valetudini consulturus, Ferraria in Forum-Julii A. D. 1695. secessisset, casu accidit, ut inter illos necessitudinis vinculum necteretur in castro Colloreti apud Fabricium loci dominum & Comitem, utriusque amantissimum, ac Leandri Cardinalis fratrem, eundemque a literarum cultu non inopem. Auditor enim fuerat Nicolai Pinelli Florentini, qui Jo. Argoli notas ad Onuphrium Panvinium de Ludis Circensibus nobili additamento locupletavit. Ad hæc Fontaninus Mantuam profectus, inde, ut amicum rursus inviseret, Ferrariam deflexit. Nec multum temporis præterlapsum, quum pene inscius Romam, *Turrio* auctore, advocatur A. D. 1697. instructissimæ Bibliothecæ Slusianæ præficiendus, quam Imperialis magno sumtu & pari animo, qui nempe Romanæ Ecclesiæ principem virum, fovendis promovendisque literis natum deceret, sui æque ac omnium eruditorum juris fecerat: cui thesauro literario nunc præest Dominicus Georgius Rhodiginus, præclarus ejusdem optimi Episcopi alumnus.

VII.

A. D. 1697. ex geminata Legatione Ferrariensi Romam redux amplissimus Cardinalis, & ob excelsas animi dotes, nunquam in illo desideratas, ferme universis purpuratorum conventibus ab Innocentio XII. Pont. Max. Alexandri VIII. successore adscriptus, in gravioris aleæ negociis *Philippi* opera usus est, illius prudentiam, doctrinam & probitatem semper miratus. *Philippus* autem vix Romam reversus, nihil antiquius habuit, quam, ut ubique gentium laudatissimum Cardinalem, &, sublato paulo post Casanata, Sedis Apostolicæ Bibliothecarium, (4) Henricum Norisium, literatorum facile principem, cui seni ipse juvenis nunquam antea innotuerat, propius coleret, illiusque amicitiam sibi compararet: quod ob sum-

mi

mi capitis raram & facilem comitatem, ac utriusque studiorum similitudinem, illi auspicato evenit. Romæ moratus, & a Norisio frontis exporrectæ lætitia semper acceptus, illum frequenter adiit, suavissimis tanti viri colloquiis, & prolixis non fucati animi argumentis fruiturus: quibus nos ipsi aliquando interfuimus. *Turrium* deinde episcopali fastigio auctum vir magnus perofficiosis epistolis sua manu exaratis, quoad vixit, sæpe convenit. Morti proximus episcopum monuit, ut illi epitaphium pararet. Heros enim, qui semper vivere debuisset, longa tympanitide afflictus, paullatim interiit, ereptus demum VII. Kal. Martias A. D. 1704. usque ad supremum vitæ halitum sui compos.

VIII.

Philippus licet a Cardinali Imperiali ob res graves discutiendas persæpe in consilium vocaretur, nihil tamen ex his prætermisit, quæ rectis studiis excolendis impendi poterant. Accidit An. Dom. *1699.* ut, dum jussu Innocentii XII. Pontif. Maxim. rudera ex urbe Antiate in novi portus molimina adveherentur, binæ tabulæ marmoreæ prodirent, tunc nostro in comitatu Imperialis illic præsente. Earum alteram *M. Aquilio*, plurium dignitatum notis insigni, Antiates dicaverant; altera simulacrum & symbola *Solis Mithræ* præferebat. Dum postea Cardinalis valetudinis caussa aberat, omnis generis libris ejus Bibliotheca affluente, noster a curis vacans, utramque tabulam ubere commentario explanandam suscepit, arreptaque occasione, de *Beleno*, deque aliis *Aquilejensium Diis*, & de *Colonia Foro-Juliensi* Dissertationes duas pariter adornavit. Ne quid operoso scripto, & multiplici antiquitati illustrandæ confecto, deesset, *fragmenta* quoque *inscriptionum Collegii fratrum Arvalium*, tunc recens in via Portuensi sinistrorsus prope villam Mallianam quarto ab Urbe lapide inventa, splendidam appendicem adjunxit. Denique postremo loco LXXVI. Inscriptiones ineditas ex agris *Aquilejensi*, *Foro-Juliensi* & *Concordiensi*, ab amico Fontanino maximam partem suppeditatas, publicæ luci exposuit. Prodiit volumen A. D. 1700. typis Cajetani Zenobii & Georgii Plachi, illudque auctor optimo Pontifici Innocentio XII. inscripsit: qui quidem quanti illud faceret, aliquo etiam publico argumento significavit.

IX.

Ubi opus in manus hominum devenit, viri docti auctoris ingenium, judicium & eruditionem calculis suis probaverunt. Memo-

randi

randi in primis ex tranſalpinis Chriſtophorus Cellarius, Jacobus Perizonius, Andreas Morellius, Theodorus Almeloveenius, Petri duo, Burmannus, & Relandus, Jo. Albertus Fabricius, aliique infra adducendi. Cellarius quidem in Diſſert. x. *de Magis ex Oriente, Stella duce, Bethleemum profectis* §. XIII. & XIV. *de Religione veterum Perſarum* agens, cujus Hiſtoriam Thomas Hyde Oxonienſibus typis ediderat, ſcriptoris noſtri, Hydio in cultu Mithræ adverſantis, librum *eruditiſſimum* vocat, auctoremque ipſum *nobiliſſimum* dicit, ſuumque non eſſe ait inter *hos claros viros tantas lites componere*. Hydius enim *ignem* & *Mithram* non *ſummo* & *divino* cultu, qui uni, æterno & inviſibili Deo tribuatur, ſed reverentia minore, quæ creatis etiam rebus conferri poſſit, a Perſis adoratos contenderat, *πυροδυλείαν* inter & *πυρολατρείαν* ipſe diſtinguens. Contra noſter *ſummum* utrique cultum a Perſis exhibitum, multis hiſtoricorum veterum teſtimoniis in medium allatis tuetur: qui, licet Perſæ non ſint, a Perſis tamen id eos didiciſſe fateri debemus. In his eminet *Herodotus*, Perſicorum ſcriptor diligentiſſimus. Poſt Cellarium Perizonius in Diſſertatione de Ære gravi pag. 247. ſibi honori tribuit, quædam ſua de cognominibus laudem noſtri meruiſſe: *probante*, inquit, *id nuper illuſtri & eximiæ eruditionis viro Philippo a Turre in Monumentis veteris Antii pag. 9. Turrii* quoque obſervationes de gente *Accoleja* pro ſe adducit p. 254. *Morellius* vero ad Perizonium ſcribens pag. 160. & 179. noſtrum commendat ob *Sortes Antiatinas* egregie enarratas, & Noriſium præconiis ornatum. Hæc Morellii Epiſtola proſtat etiam in Electis de Re nummaria Hamburgi Editis A. D. 1709. & in Bibliotheca nummaria Fabricii. Idem Morellius in alia epiſtola, *Turrio* quoque laudato, ſinceram lectionem profert lapidis, in quo is ex Fabretto legendum putarat SACERDOTAL. DEI CARNUN. quum tamen legeretur DEF. CARNUN. nempe DE*functus* CARNUN*ti*: quem errorem *Turrius* a Cupero monitus poſtea ſuſtulit in *Addendis*. Burmannus in præfatione ad novam Gruteriani corporis editionem pag. 3. Monumentorum veteris Antii *doctiſſimum* librum dicit, deque eo verba pariter facit pag. 7. & 12.

X.

Mentio Burmannicæ præfationis injecta me admonet, ut paucas labeculas eidem adſperſas, quæ rem Italicam ſpectant, raptim hoc loco detergam. Studium emaculandæ in ipſo limine ſplendidiſſimi operis noſtratium hiſtoriæ literariæ diverticulum excuſabit.

 1. Pag. 2.

1. Pag. 2. *Cyriacum Anconitanum*, non *Italum*, sed *Græcum* Burmannus facit. Fuit domo *Ancona*, Italus nempe, ex nobili *Pizecollia* familia, pridem extincta, Juliano Saraceno teste in Notitiis historicis Anconæ pag. 7. Prænomen habuit a *Sancto Cyriaco*, natalis soli patrono. Franciscus Philelfus epistolas ad eum scribit lib. I. & IV. fol. 2. 26. & 27. editionis magnæ.

2. *Carolus Moronus Cremonensis*, Basilicæ Sancti Laurentii in Damaso Canonicus, is est, quem Burmannus pag. 2. & 3. *Morovi* pro *Moroni* appellat. Bibliothecæ Barberinæ præfuit, laudaturque a Theodoro Ryckio in præfatione Castigationum Lucæ Holstenii ad Stephanum *de Urbibus*.

3. Vir doctus, Burmannum dico, eadem pag. 3. non constare ait quis fuerit *Andreas Mantinea*, Italice *Mantegna*, non *Mantegnas*. Fuit notissimus pictor, quem Laurentius Pignorius epist. II. & Angelus Portenarius in Felicitate Patavii lib. IX. cap. XXVI. diu in hac urbe moratum, *Patavinum* dixerunt: qui tamen fuit *Mantuanus*. Cum magnis ejusdem artis magistris illum prædicat summus Vates Ludovicus Areostus initio cantus XXXIII. Orlandi furentis, ubi ait

Lionardo, ANDREA MANTEGNA, *e Gian Bellino*.

Qui hic primus occurrit, est *Leonardus Vincius*. De *Mantinea* consulendus Simon Furnarius in Expositione magni poematis p. 509. & Georgius Vasarius in Vitis Pictorum, Sculptorum & Architectorum illustrium tom. I. Part. II. pag. 487. editionis II. Florentinæ apud Junctas anni 1568. *Mantuæ* in æde Sancti Andreæ sinistrorsum exstat sacellum, *Mantineæ* nuncupatum, ab eo pictum, in quo etiam sepultus est, hac epigraphe in pariete, ejus simulacro æneo subjecta, ex Hippolyto Donesmundo in Historia Mantuana tomo II. lib. VI. pag. 47.

Esse parem hunc noris, si non præponis, Apelli,
Ænea Mantineæ qui simulacra vides.

4. Virum literatissimum *Jo. Jucundum* Veronensem ex sacro Ordine Prædicatorum, a Burmanno memoratum, laudari video in epistola, qua senior Aldus A. D. 1518. Aloysio Mocenico nuncupavit Plinium juniorem: cujus codicem Parisiis repertum, se ab *Jucundo* habuisse testatur Guillelmus Budæus in Pandectas folio XXXII. 2. editionis Ascensianæ, ubi *Sacerdotem* vocat, & *antiquarium famigeratum*. In libro V. de Asse fol. XL. 2. *Jucundus*

Vero-

Veronensis, ait, *professione architectus*, *sed antiquariorum diligentissimus*, *nuper Catonem imprimendum curavit*, *in quo cum multa verba emendavit restituitque*, *tum cap.* LVII. *locum mutilatum restituit*. Veteres inscriptiones ab se collectas *Jucundus* in duos libros digessit A. D. 1494. inque *Laurentii Medicis* nomine apparere voluit: quo flagitante Alexander Cortesius ad eas colligendas *Jucundum* impulerat. Priorem librum se habuisse testatur Jo. Baptista Fontejus de Prisca Cæsiorum gente pag. 232. *Jucundi* hac de re epistola ad *Laurentium*, utroque profecto digna, jam exstat in museo Fontaninio. Vide Politianum in Miscellaneis cap. LXXVII. & Vasarium tom. I. part. III. pag. 145. Cl. Senator Bonarotius in Observationibus ad Vasa vitrea antiquorum pag. 209. auctor est, *Jucundi* codicem M. S. priscorum epigrammatum Florentiæ servari apud equitem Antonium Franciscum Marmium: quem ipsum vel alium *Jucundi* codicem ævo Panvinii servavit Stephanus Magnus Patricius Venetus, eodem Panvinio teste in Antiquitatibus Veronensibus lib. VI. pag. 167. & in fine lib. II. Commentariorum in Fastos Consulares. Hoc eodem Magni codice se usum testatur Carolus Sigonius in Emendationibus lib. I. cap. II. pag. 141. editionis Gruteri. Fabulosi Veronæ Principes (veri tamen in Republica literaria Senatores) Scaligeri pater & filius multa in rem suam de hoc *Jucundo* commenti sunt: quibus larvam detrahit Bernardus Moneta in Menagianis tomo IV. pag. 266. Hæc de tanto viro pro angustia loci attigisse sufficiat.

5. *Marius Maffejus*, primum *Aquinas*, postea *Cavallicensis* Episcopus, *Marcus Aquinatius* dicitur in præfatione Burmanni pag. 4. Janus Vitalis ei nuncupavit Orationes duas Lysiæ, ab se in latinum sermonem conversas, & Jacobi Mazochii Romanæ Academiæ bibliopolæ formis descriptas A. D. 1515. in 4. Postremus is fuit *Maffejæ* gentis Volaterranæ, *Gerardi* filius, & *Raphaelis* frater, cognomento *Volaterrani*, scriptis suis noti: cujus filia *Lucilla* Paulo Ricobaldo a *Bava* dicto nupta novos *Maffejos* Volaterris per adoptionem propagavit, teste Eugenio Gamurrino in Historia familiarum Tusciæ & Umbriæ tomo IV. pag. 250. Romæ ad Sanctum Thomam in Parione ædes *Marii*, (ad quem non unas literas dedit Jacobus Sadoletus) hanc præferunt dedicationem stilo *Epigrammatum antiquæ Urbis*, quæ, *Mario* auspice, in unum volumen congesta, prælum Mazochii subierunt A. D. 1521. in forma folii.

DIVO . LEONI . ET . DIVO . IV
LIO . CLEMENTI . PP. MM
PIIS . FE. VICT. AC . TRIVM. SEM
PER . AVGVSTIS . PACIS . QVIE
TISQVE . FVND. MARIVS
MAPHEUS . VOLATERRANUS
SVIS . NUMINIBVS . P

Deceſſit *Marius* Volaterris die xxiii. Junii A. D. 1537. ætatis anno lxxviii. in baſilica epiſcopali ſepultus. *Raphael* Marii frater Volaterris quoque deceſſerat die xxv. Januarii A. D. 1522. ætatis lxx. in ſacrarum Virginum æde, quam de ſuo in honorem Sancti Lini a ſolo extruxerat, magnifico ſepulcro & ipſe honeſtatus: quod eſt opus Silvii Feſulani, ex Vaſario tomo i. parte iiI. p. 109.

6. Codex *Sebaſtiani Maccii* de quo ibidem poſtremo loco Burmannus, in duo volumina diſpertitus, Romæ exſtat in Bibliotheca Chiſia: quo ſe uſum teſtatur Lucas Holſtenius in notis ad Cluverium pag. 89. ejuſdemque excerpta edidit Mabillonius pag. 123. opuſculi de Cultu Sanctorum ignotorum.

XI.

E longiori excurſu in viam reduces, *Philippi* noſtri præcones enumerare pergamus. Fabricius in Bibliographia antiquaria ſæpe de *Antii monumentis* loquitur, Almeloveenius in Faſtis Conſularibus pag. 108. & 192. & Relandus etiam in Faſtis pag. 90. His jungendi percelebres Franciſcus Blanchinus in Diſſertatione de Kalendario pag. 74. 86. & 113. & R. P. D. Bernardus de Monteſalconis in Antiquitate explicata tom. i. pag. 368. 374. 380. 382. 384. & tom. iI. pag. 419. Nimius eſſem, ſi omnes, qui opus laudibus proſecuti ſunt, huc adducerem. Præterire tamen non debeo V. C. Jo. Vignolium in Diſſert. de Columna Antonini Pii cap. viii. in fine, ubi poſtquam de ſacerdotum capitibus velatis egiſſet, plura cupientem ad *doctiſſimum Adrienſem Epiſcopum Philippum a Turre* ſe mittere ait. Infra vero pag. 175. *Mithriacam* tabulam, ab ſe primo editam, & Gordiani Pii nummum, *Mithra* quoque inſignitum, enarrans, *ad Turrii* Diſſertationem adeundam lectorem invitat: quod pariter agit, egregiam inſcriptionem *Mithriacam*, ſibi a Fontanino ſuppeditatam, explanans pag. 328. Vignolio conſonat Paullus Alexander Maffejus, ſub nomine *Romualdi Ricobaldi* latens, in Apologia pro Diario Italico Monteſalconii, de Adrienſi Epiſcopo ſcribens pag. 27. 55. 87. Vereor,

reor, ne longa teſtium & laudum ſeries lectori faſtidium pariat. Sed quodammodo neceſſaria erat ad demonſtrandum quo loco eſſet apud doctos *Turrii* nomen. Sparſim in toto opere aliis indicta, inſcitaque retexit, quæ lauticiarum hujuſmodi non incurioſi cum plauſu exceperunt. Thomas Hearne, qui perelegantem T. Livii editionem Oxonii e theatro Sheldoniano emiſit A. D. 1708. ad libri IV. caput XXXIV. in *Turrii* ſententiam deſcendit, qui *claſſes* a Livio memoratas, veras *claſſes* navales fuiſſe oſtendit in hoc Commentario cap. IV. pag. 64. contra Tanaquillum Fabrum & Carolum Datum, imperitiæ Latini ſermonis Livium inſimulantes. Conſulendus idem Hearnius tomo VI. pag. 92. in quem ſuas ad *Livium notas* rejecit. *Notarum* nomine, ut hoc etiam non fruſtra, licet obiter, moneam, *adnotationes* propterea vocitatæ, quod ſingularium numerorum aut literarum *ſignis* & *notis*, unde dicuntur, ipſi librorum contextui quodammodo adnectantur. Vocabulo compendii cauſſa hoc ſenſu (quamvis ut minime latinum nuper admodum exploſum occurrat) nos cum vulgo eruditorum, cui tamen M. Antonius Muretus omnis latinæ elegantiæ arbiter nomen dat, ſæpe uti non dedignamur. Muretus enim Variarum Lectionum libro XIV. cap. XV. Sebaſtiani Corradi induſtriam exoſculatur, quod *non inutilem ſtudioſis navarit operam brevibus* NOTIS *ad Valerii Maximi libros additis*. Qui *notam* pro *adnotatione* uſurpatam cenſura perſtinxit, Muretum ſuæ ætatis *Tullium* dicit. Nos cum *Tullio* errare non pudet. Tempus nos deficeret, ſi eodem modo reliquos commemorare vellemus, qui *Philippi a Turre* ſcripta encomiis ornarunt. Adhuc tamen unum & alterum præterire non decet. Gisbertus Cuperus in epiſtola, quam Jacobus Baſnagius inſeruit Hiſtoriæ Judæorum tomo VI. lib. III. cap. XXIV. pag. 646. edit. II. eum celebrat de *Junone Deum matre* ſub nomine *Deæ Diæ* e tabulis Arvalium deducta. Celebrat quoque in epiſtolis ad Zachariam Goezium, editis Witembergæ. In Variorum corrigendis & animadvertendis poſt novam corporis Gruteriani editionem, ab Eduardo Holtheno corraſis, pag. CCCXVII. nonnulla ſunt ex *Turrii* obſervationibus derivata. De viro quoque honorifice loquuti ſunt Antonius Pagius A. D. 791. §. VII. & Jo. Mabillonius Annalium tomo II. lib. XXX. pag. 534. Denique in Conſpectu Theſauri antiquitatum Germanicarum, quem Thomas Fritſchius ſe Lipſiæ editurum ſpopondit, *Turrii* Diſſertationi de Beleno locus datur cap. XVI. §. 228. Integrum opus in tomos VI. & VIII. Theſauri Hiſtoriarum & antiquitatum Italiæ nuper tranſtulit Petrus VanderAa Lugduni Batavorum A. D. 1723. Nos ea, quæ

au-

auctor ad oram libri adnotaverat, huic editioni subjecimus, suis locis commode inserenda.

XII.

Innocentio XII. ad superos evocato, Clemens XI. eidem suffectus, qui *Philippi* merita probe noverat, quum ob Pascha anni MDCC. nonnullæ difficultates de emendatione Kalendarii oborræ essent, A. D. 1701. conventum sub præfectura Cardinalis Norisii ea de re a præcipuis aliquot viris haberi voluit: in quorum numerum *Philippus*, sacrarum literarum & doctrinæ temporum peritissimus, relatus est. At hoc eodem anno mense Novembri Carolo Labia Episcopo Adriæ Venetorum, cujus Ecclesia Ravennati metropoli est contributa, e vivis erepto, non defuerunt qui unum *Philippum*, omnium maxime dignum, cui Ecclesiæ illius regimen committeretur, summo Pontifici memorarent. (5) An Romæ eum retineret, vel Episcopum invitum, sed capacem designaret, initio dubius hæsit Clemens: apud quem tanti erat, ut si Carolus Thomas Turnonius Patriarcha Antiochenus & dein Cardinalis, pro religione Christiana ad Sinas navigare detrectasset, se de nostro cogitavisse, aliquando affirmaverit. Consultius tandem ei visum, ut animarum sollicitudinem *Philippo* traderet. Quare Pontifex XVIII. Kal. Februarias A. D. 1702. qua die Nicolaus Erytius eques & Reip. Venetorum Orator, abeundi facultatem ab eo postulavit, *Philippum a Turre Adriensem Episcopum* dixit: qui certe oneri se subduxisset, ni amici secus optimum rati secretis consiliis illius conatus elusissent. Ea vero occasione Cardinalis Colloreti virtus speciatim eluxit. Nos *Turrium* hanc ob caussam magno curarum æstu fluctuantem & lacrymas effundentem adspeximus. Neque Imperialis certe libens tulit, se illo privari, quamvis ejus virtuti & honoribus tam studeret, quam qui maxime. A Petro Rubino S. R. E. Cardinali & Episcopo Vicetino in Titulo Sancti Marci de more ordinatur Episcopus die XIX. Martii, Deo in honorem Sancti Josephi sacra: qua ipsa die ad Clerum populumque civitatis & parœciæ Adriensis pastorales literas, omnium virtutum luminibus refertas, dedit. Scripsit etiam sub ipsum ex Urbe discessum Italicam epistolam ad clari nominis virum & amicum Bernardum Montefalconium, qui eam suo Diario Italico, ubi alias sparsim multus sermo de nostro est, Latine conversam legi voluit pag. 450. Tunc enim mense Majo extra portam Prænestinam, vulgo *majorem*, sarcophagus pervetustus detectus fuerat, in quo tela per-

am-

ampla ex lini genere, quod Græci *asbeston*, latini *vivum linum*, quia igne non comburitur, appellaverunt. Hæc postmodum in Bibliothecam Vaticanam migrarunt. *Turrius* in epistola sua, sarcophagi, nulla inscriptione insignis, ætatem ex anaglyphis prodit, & usum lini paucis describit. Roma discessit die XIX. Junii. Ecclesiæ suæ possessionem & regimen iniit die XXVI. Novembris.

XIII.

Nihil ab episcopatus exordio prius habuit, quam, ut sibi commissi gregis saluti prospiceret. Eum honorem ita sibi creditum accepit, ut se magni oneris religione obstringi arbitraretur. Itaque in eo administrando non cujusvis necessitudinis nomen & vinculum, non potentiorum gratia aut privatæ utilitatis ratio apud illum plus, quam Dei leges & veterum consuetudinum observantia, valuerunt. Quamobrem sacerdotalem disciplinam & literarum studia in Dei ministris, caritatem, mores optimos, ac pacem in populo, promovere mox coepit. Constituit in primis, ut statis temporibus ad sacros ordines accessuri, exercitiis pietatis operam darent, deque rebus theologiam theoreticam & practicam spectantibus conventus per totum episcopatum singulis mensibus haberentur: utrumque enim intermissum fuerat. Rhodigii, ubi a multis sæculis Pontifices Adrienses ob clementiorem aerem ac populorum frequentiam, ut plurimum degunt, solemnius hæc comitia instituta.

XIV.

Infra agri Patavini fines situm est *Rhodigium*, olim *Rothige*, & *Bonusvicus*, jam præcipuum & nobile municipium, quod in chartis sæculo X. vetustioribus memorari non vidimus. Est caput parvæ Peloponnesi, quæ intra Athesim & Padum sita, *Policinum*, vulgo *Polesinum*, dicitur, vocabulo, ut ominor, prave detorto ex *peninsula*, vel fortasse transposita syllaba, ex *Polyneso:* quod censet M. Antonius Sabellicus in Historia Veneta Decade IV. lib. I. quasi scilicet *longam* seu *multam insulam* dicerent. *Polynesum* dixit etiam Baptista Egnatius in Oratione de laudibus Nicolai Ursini. *Cherronesum*, quod perinde est, vocat Coelius Rhodiginus libro V. Antiquarum Lectionum cap. I. Sub Baldo castello agri Veronensis ad sextum a Liniaco lapidem, scisso Athesi, efficitur ea regionis pars, quæ *Rhodigii Policinum* jam nuncupatur, ab aliis partibus seu *Policinis*, Pado adjacentibus, distinguenda: quæ quidem tria sunt. I. *Ferrariæ*. II. *Sancti Georgii*, & III. *Adriani*. Ad hos tractus *Atriano-*

norum paludes, in veterum commentariis relatæ, protendebantur. De *Rhodigio* ac ejus *Policino* ſcribentes adeundi in primis Coelius proxime adductus, & Paullus Æmilius Caſilinus in Diſſertatione Italica *de Origine & conditione Rhodigii*. Etiam Andreæ Nicolii Hiſtoria Rhodigina, ubi tamen Annianis nugis non ſcatet. Exſtant quoque Balthaſſaris Bonifacii *Polyneſi Origines* cum conjecturis in Martialem, Venetiis excuſæ apud Pinellum A. D. 1635. in 4. ſed omnium fuſius & accuratius id argumentum bono rei geographicæ medii ævi pertractaverat optimus ſenex Camillus Comes Silveſtrius: cujus hiſtorica lucubratione typis nondum expreſſa, conſuli interim poteſt elegans totius peninſulæ chorographia, quam Paullus Bartholomæus Claricius, præſuli Adrienſi percarus, dædala induſtria cælatam nuper exhibuit ſub auſpiciis inclytæ memoriæ Joannis Cornelii Ducis Venetorum.

XV.

Iſtic ergo Rhodigii novus Epiſcopus ſacris illis exercitationibus, ab ſe inſtitutis, præfecit Thomam Mariam Minorellum Theologum ex Ordine Prædicatorum, quem ob eximiam probitatem paremque doctrinam ſingulari benevolentia complexus eſt. Multa a Minorello uberrime explicabantur, ipſo etiam Præſule in *verbo Dei ſcripto* & *tradito*, quod eſt verum & inconcuſſum rei theologicæ fundamentum, magna cum laude verſato, plura in medium afferente. Licet vero permagnum ſolatium Epiſcopus ex Minorelli conſuetudine caperet, æquum cenſuit ſua commoda illius dignitati præferre: eundemque amicis commendatum, quos inter Fontaninus eminebat, in luce Urbis rerum dominæ vivere maluit, ubi poſtea ipſo Clemente XI. favente Bibliothecæ Caſanatenſi præfectus eſt. Abeunte Minorello unus Silveſtrius, vir gravis, antiquæ probitatis, & Muſis carus, Rhodigii ſuperfuit, quocum Epiſcopus, a curis Epiſcopalibus interdum vacans, jucundos de re literaria ſermones miſceret. Ad animarum ſalutem alacrius promovendam presbyteros a ſacris *miſſionibus* dictos Ferraria crebro advocavit, iis pro neceſſitate in frequentioribus parœciæ ſuæ locis uſurus: qui profecto viri, pietate inſignes, mirum dictu quanto animarum lucro Chriſti Domini legem prædicarint, quantosque fructus ex ſacra hac meſſe collegerint. Ad opem traditis ſibi ovibus ferendam Epiſcopus idemtidem parœciam obibat, ſacrasque ipſe conciones habens, ut Epiſcopum decet, populorum undique confluentium animos ad Dei cultum erigebat, & diffidentes componens, pacem Chriſti eorum animis pro virili inſere-

re

re satagebat. In summa ita laborabat, ut aliquando febri correptus incoeptam lustrationem Episcopatus magno sui dolore intermittere coactus fuerit.

XVI.

Ex gravioribus studiis, quoad sacrorum sollicitudo permitteret, solatium quæsivit. De obscuris & implexis, quæ in sanctioribus disciplinis vel antiquis monumentis occurrerent, sæpe consultus, perhumanis & doctis epistolis respondit. Harum aliquæ studio eorum, ad quos scriptæ essent, in lucem prodierunt. A. D. 1705. prope Lugdunum in summo colle, vulgo *la Montaigne de Fouruiere*, vetus inscriptio *Taurobolii* effossa est, in qua *dedicationis* tempus *consularibus* notis distinctum. Caspare Josepho Charmerio societatis Jesu presbytero interpretationem lapidis postulante, Adriensis præsul suum ea de re commentariolum observationibus minime proletariis refertum literis consignavit: qui ad Gisbertum Cuperum allatus, perque eum ad Joannem Clericum missus, ab hoc publici juris factus est A. D. 1709. in Bibliotheca selecta tomo XVII. pag. 167. & rursus per Albertum Henricum Sallengrium Novo Thesauro antiquitatum Romanarum immixtus tomo III. pag. (854.) De scripto hoc testimonium reddit eximium interioris literaturæ flos Bonarotius in Observationibus ad Vasa vitrea antiquorum pag. 188. Ex multis in tabula exhibitis, egregiaque adnotatione illustratis, Adriensis antistes *integra* collegii Consulum *nomina* eruit T. CLODII. VIBII. VARI, & APP. ATILII. BRADVAE, qui annum V. C. 912. Christi 160. aperuerunt. Hinc vulgares Fastos *emendari* & *suppleri* adnotavit. Emendantur enim propterea quod ex his aliqui *Appium Annium Braduam*, & *T. Vibium Varum*, Fasti Idatiani *Braduam & Verum*, Prosper, & Cassiodorus *Verum* II. *& Braduam* præferant. Supplentur deinde ubi solis postremis nominibus *Braduam*, & *Varum* indicant. Apud Petrum Relandum in Fastis pag. 29. inscripti lapides omnia *Braduæ* nomina, & *T. Vibium Varum* quoque, non tamen *Clodiam* gentem, illi præfixam, nobis dederunt. Ad *Varum* quod attinet, Jacobus Sponius in Miscellaneis eruditæ antiquitatis sect. III. pag. 107. e schedis, ut ait, Raphaelis Fabretti falso *Verum* pro *Varo* transscripsit. De hac Sponii oscitatione Fabrettus ipse, qui saxum æri incisum ediderat Differt. II. de Aquis & Aquæductibus pag. 106. conqueritur Inscriptionum cap. x. pag. 690. neque e suis schedis unquam monstrum illud depromi potuisse animadvertit, ubi loco *Vari* a Sponio *Verus* exhibetur. Miror ego, Sponii mendum An-

tonio Pagio non suboluisse, qui A. D. 160. alium lapidem apud Panvinium in Fastis A. V. 913. vitiosum in nomine *Vari* arbitratus, *Verum* cum Sponio legendum omnino censuit. Hæc propterea ob oculos ponere visum est, quod in quadam scriptione Italica typis excusa iidem Consules prius ignorati dicantur, quam ab Adriensi Episcopo detegerentur: qui tamen ex lapide Lugdunensi sola eorundem nomina, alias in vulgatis Consularibus Fastis disertim expressa, *corrigi* & *suppleri* tantum debere primus notavit. Sed & alia non pauca, a vero immane abhorrentia, in illa scriptione ferri neutiquam possunt. Singula persequi supervacaneum putamus, quando præsertim ex hoc nostro Elogio ea per se omnia ruere noscuntur.

XVII.

Commentariolo jam recensito alium jungimus, qui variis scriptis argumentum suppeditavit. Originem duxit ex nummo *Anniæ Faustinæ* Augustæ, æra Damascenorum in aversa parte signato, ut quidem primo creditum est, quum tamen reapse in eo legeretur ΑΓΩΝ . Α . ΟΛ . ΑΝΤΩΝΕΙΝ. *ludus primus Olympicus Antoninianus*, ut postea Romæ constitit, quo ipsum nummum æreum maximi moduli ad hoc miserat amplissimus Senator Venetus Jo. Dominicus Theupolus, qui eum ad suæ gazæ scrinia locupletanda sibi comparaverat. Vide Diarum Literatorum Italiæ tomo x. pag. 498. Adriensis Episcopus A. D. 1710. literas de hujus nummi explicatione ad V. C. Johannem Antonium Astorium dedit, a quo motam controversiam ob ejus interpretationem acceperat. Quumque Præsul indicaret, nummum (tunc sibi non visum) ex *epocha Damascenorum*, cusum videri A. V. 977. eræ vulgaris 224. biennio post Elagabali necem, proptereaque, secundum Pagii calculos, *Tribuniciam potestatem* I. Elagabali desumendam ex initio anni Christi 218. quo Macrini nomen e Fastis jussu Elagabali erasum, hoc illorum aures perculit, qui secus opinabantur. Ubi ex *Turrii* epistola, Astorio curante, in Diarium literatorum Italiæ inducta tomo IV. pag. 360. patuit interpretis sententia, continuo a viris doctis in partes itum. Vir enim pereruditus Virginius Valsechius Monachus Benedictinus Florentiæ A. D. 1711. Dissertationem emisit, *de Elagabali Tribunicia Potestate* v. cujus Imperii initium, ut antiquos Scriptores in concordiam redigeret, a morte Caracallæ ducendum contendit.

Johan-

XVIII.

Johannes Vignolius Bibliothecæ Vaticanæ alter præfectus, scriptis editis clarus, medius inter hos arbiter sedit Dissertatione edita Romæ A. D. 1713. *De Anno primo Imperii Severi Alexandri Aug. quem præfert cathedra marmorea S. Hippolyti Episcopi*, ubi Valsechio oppugnato, quod ex Herodiano Imperii Elagabali annos a *Caracallæ* interitu, non a *Macrini* fuga, numerandos conjecisset, inque nummis Elagabali Tribuniciam potestatem I. intermissam putasset; mox perelegantem epistolam secundis curis subjecit, in qua de nummo quodam Antonini Pii, cujus ectypon Gallandius vir doctus ad Fontaninum Lutecia transmiserat, sagacissime inquirens, ostendit, in aversa nummi parte Felicitatis imaginem fuisse deletam, proque ea columnam solidam a scalpro falsarii suppositam, ut nempe ex obvio rarissimus, immo unicus hoc pacto nummus obtruderetur. In hac honesta concertatione sibi silendum non esse ratus Adriensis Episcopus, Dissertationem Apologeticam vulgavit, cui titulum fecit: *De Annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, ac de initio imperii & duobus Consulatibus Justini junioris. Patavii typis Seminarii* A. D. 1713. Valsechii sententiam, quod anni Imperii Elagabali ab interitu *Caracallæ* inchoari debeant, Præsul strenue convellit. Iis, quæ Vignolius ad utriusque systema conciliandum attulerat, modeste respondet, Pagii sententiam, quam in epistola ad Astorium amplexus fuerat, certamque crediderat, se deserere paratum, modo Hippolyteæ cathedræ impedimenta e medio tollantur. In hoc scripto, cujus excerpta cum aliis edidit Jo. Albertus Fabricius Hamburgi A. D. 1716. tomo I. operum Sancti Hippolyti martyris, auctor de tribus Elagabali uxoribus accurate disquirit: de gemino etiam Consulatu Justini II. Augusti ab aliis intacta profert ex vetustissimis tabulis in papyro Ægyptia, Justino ipso imperante, Ravennæ conscriptis: quarum lacinias chronicis notis insignes, ex museo Fontaninio secum peropportune communicatas atque æri incisas, amicissimi possessoris laude præmissa, vulgavit. Quum vero in subscriptione tabularum explicanda pag. 44. leviculum mendum irrepsisset, ubi *Johannis Fort.* legitur pro *For.* nempe *Forensis*, qui est *tabellio*, hoc postea sublatum est in Diariis literatorum Italiæ tomo XVI. pag. 137. Henricus Brencmannus Batavus pereruditus, qui Episcopi fama motus, ut eum propius nosset, Rhodigium aliquando perrexit, quum ejusdem scripturæ specimen a *Turrio* editum memoraret in Historia Pandectarum lib. II. cap. II. in viri laudes perhonorifi-

cas effusus, hæc scripsit, quæ nullo pacto prætermittenda censuimus: *inter alios*, inquit, *specimen illius exhibet Illustrissimus ac Reverendissimus Adriæ Episcopus Philippus a Turre, vir egregius, quem fata nobis, qui multis nominibus incomparabili viro obstrictissimi eramus, totique orbi literato paucis ab hinc annis eripuerunt. Profert nempe in Dissertatione Apologetica ad nummum Anniæ Faustinæ duas particulas instrumenti venditionis fundorum & ædificii in agro Ariminensi, scripti Ravennæ sub Justino* II. *Imperatore A. D.* 572. *quod specimen eo lubentius allegamus, quoniam circa id tempus, certe non ita multo post, conscriptum opinamur ipsum illud, quo de agimus, Florentinum Pandectarum exemplar*. Hucusque Brencmannus. De eodem scripto loquens Anselmus Bandurius tomo I. Numismatum pag. CXIX. *Turrium* vocat *præstanti ingenio & doctrina* præsulem, quem *fortissime* ait suam sententiam propugnare. Varia *cognitu perutilia docere de uxoribus Elagabali, de habitu pacificatoris, de duplici anno apud Ægyptios, deque honoribus Augustarum post Principum, quibus nupserant, mortem*.

XIX.

Rei antiquariæ duumviri Vignolius & Valsechius rursus in arenam descendere visi sunt. Prior quidem A. D. 1714. Dissertatione inscripta *de anno Primo Imperii Severi Alexandri*. Alia vero Valsechius anno insequenti Florentiæ vulgata *de Initio Imperii Severi Alexandri*. Episcopus rei veritatem novis observationibus illustraturus, ab eruditis argumentis sua tueri & rem literariam augere statuerat, multa de antiquis militarium copiarum itineribus jam commentatus, deque tempore, quo Maximinus Aquilejam obsedit & ibidem extinctus est. Hunc enim vicina loca *Æmonæ*, Alpibus Juliis subjectæ, interque Italiam & Noricum in Pannonia *prima*, alias *superiori*, Ocra & Carvanca montibus interpositis, sitæ, ipso *Februarii* initio prætergressum, ex Gruteriana inscriptione ostenderat. Quam ob caussam accessus ad flumen *Sontium*, de quo Herodianus, trahi nequiret ultra *medium* ejus mensis, quo nives solutæ torrentem effecerant. *Sontius* enim juxta ac ceteri illius regionis amnes hieme sæpenumero in immensum augetur flante austro, qui montanas nives solvit, pluviasque & diuturnas & uberrimas ciet. Maximinus ergo ad XII. ab Aquileja lapidem, *Sontio* fluvio trajecto ad medium Februarii, cujus initio *Æmona* transierat, urbem ipsam *Aquilejam* obsedit, ubi postea sub exitu mensis Martii A. D. 237. extinctus est. Hinc retrocedendo cum annis II. nonnullisque diebus, quos Maximinus in Imperio transegit, Adriensis

sis Episcopus Alexandri decessoris obitum trahit ad diem xx. Mensis Martii A. D. 235. Demum Alexandri annis XIII. & diebus IX. computatis, Elagabali mortem, ejusdemque Alexandri initium, multiplici argumentorum genere undequaque firmatum, confert in diem XI. Martii A. D. 222. quæ erat præcipua inter eximios viros quæstio agitata. Quum vero Antistes in superiori Dissertatione tradidisset, Elagabalum terrestri itinere Nicomedia Romam properasse exeunte Martio A. D. 219. atque huc advenisse mense Julio ejusdem anni, confectis MD. milliariis, quæ essent xx. per singulos dies, hoc viris doctis stare non posse videbatur, nempe exercitum, qui Elagabalum comitabatur, xx. millia passuum diebus singulis confecisse. Quare noster ut hoc idem novis rationibus amplius evinceret, accuratissimo studio enarratis & in tabulas digestis variorum exercituum diurnis itineribus numero CCCXLI. apud Græcos & Latinos historicos diserte memoratis, Romanorum scilicet XXXIX. Cyri LXXX. Græcorum CCXV. Alexandri VII. eo tandem devenit, ut ob oculos ponat, morem fuisse, ut xx. saltem milliarium, singulis diebus per militares copias conficiendorum, communis & certa mensura esset. Quandoquidem ex his CCCXLI. militarium copiarum itineribus, summa diligentia ex universa antiquitate corrasis, *octo* tantum reperta sunt, quæ singulis diebus xx. millia passuum non plane confecerint. Horum enim *sex* habent milliaria XVI. *duo* habent XIV. reliqua ad unum *æquant*, immo ex his plurima *superant* milliarium xx. mensuram. Hæc itinera in duo capita distributa & luculento eruditionis apparatu disposita, singularum mansionum numeris & earum distantiis ac itinerum milliariis diligenter expressis, componunt justam veluti ac plenam de *Itineribus militaribus tractationem*, antehac viris doctis intactam.

XX.

Mox de nummis Tribuniciam potestatem præferentibus, ea tamen nondum inchoata percussis, disceptat, Stare ait annos, menses, & dies Elagabali, quos Dio a morte Macrini deduxit. Stare ejus mortem collatam in diem x. Martii A. D. 222. Stare inscriptionem Canonis Hippolytei, quæ Severum Alexandrum offert jam Imperatorem die XIII. Aprilis. Stare denique nummum Cartusianum a Cl. Vignolio Dissert. I. pag. 48. cum TR. POT. II. COS. III. primo exhibitum. Fortasse huc faceret Willhelmi Wottoni Historia Romana ab Antonino ad Alexandri decessum, nisi Anglice tantum prodiisset A. D. 1704. nondum, quod sciamus,

mus, in communem linguam literatorum translata. Hoc obiter. Præsul subinde agit de processu consulari & non consulari, de Cyclis, præcipue Hippolyti, ejusdemque chronico & historia, deque literis initialibus, mensium nomina indicantibus. In nummis Ægyptiis annos Principum stilo Romano a die Imperii eorum natali non numerari, fusius ostendit, hoc probans sex nummis Galbæ cum nota L. B. *anno* Imperii ejus *secundo*; quinque Hadriani cum L. K. B. *altero & vicesimo*; uno L. Veri cum ΔΕΚΑΤΟΥ *anno decimo*, & altero Otaciliæ uxoris Philippi cum L. Z. *anno septimo*: quos quidem nummos explicaverat in Differtat. I. cap. II. Nihil certius esse arbitratur, quam ex his Augustis neminem attigisse annum in nummis expressum. Quare illorum initia a die *inaugurationis*, sive *natali* Imperii deduci non posse. Galba inchoavit Imperium, vel a militibus in Hispania die II. Aprilis A. D. 68. vel die x. Junii ejusdem anni post excessum Neronis, Imperator dictus, obiitque die xv. insequentis Januarii A. D. 69. Galbæ annus *primus*, ab acclamatione inchoatus, stilo Romano desinebat. At *secundus* inibat die II. Aprilis, menses duos & dimidium post necem Galbæ. Dum ergo Ægyptii Galbæ annum *secundum* in nummis signarunt, ejus Imperium stilo Romano a die ejus *natali* non deduxerunt. Hoc idem reliquis nummis aptatur. Ad hæc Antistes de nummis Latinis disceptat, in quibus anni Tribuniciæ potestatis Imperii annos excedunt. Eos aut mendose descriptos, aut monetarios in iis cudendis lapsos, vel annos unius Imperatoris alteri datos putat. Nullum ex his vitium Ægyptiis nummis quandoquidem plurimis & legitimis, tribui debere contendit, ideoque verum non esse, Ægyptios in nummis suis annos Augustorum a die *inaugurationis*, Romano stilo, numerasse. Eo stilo numeratos non diffitetur, quem Pagius A. D. 69. §. III. ipseque Antistes Differt. I. exposuerat, illum deducens ex canone Ptolemæi, in quo anni Regum non a vero die illorum *natali*, sed a *Thoth vago* numerantur. Contra Valsechium, quem perinde ac Vignolium semper, ut decuit, honorifice appellat, incredibile nequaquam videri ait, eum stilum ab Alexandrinis, apud quos Astronomi illum induxerant, ad populares traductum. Quum enim ex jam dictis constet, annos Augustorum in nummis Ægyptiis ex eorumdem *natali* die Romano stilo non numerari, utique alio numerari debuerunt. Si vero Astronomi nos docent hujus stili cardinem *Thoth vagum* fuisse, cur hic ipse cardo in usu etiam civili non fuerit *Thoth fixus*, seu dies XXIX. Augusti, unde stilus numerandi annos Augustorum in nummis manaverit? Minimi referre arbitratur sive cœptos annos eos-

dem

dem dicamus a *Thoth fixo* antecedente, sive anni primi nomen spacio illi temporis inditum, quod diem inaugurationis Principum & xxix. Augusti, annumque secundum, ab hac ipsa die inchoatum, intercedit. Nec Pagius de nummis Græcis postmodum aliter loquens, se priori sua opinione abdicavit. Græcis enim nummis Ægyptii accensendi non sunt. Hadriani quidem nummos alio modo pro re nata sibi obvio interdum ille explicavit: priorem tamen illum stilum ideo minime respuit. Tunc stilo Ægyptio non indigebat, quum anni in nummis Hadriani expressi, annos Imperii nequaquam excederent. Ex altera *Turrii* Dissertatione in schedis cubante hæc summatim delibasse sufficiat. Hanc enim curam morbi interventus luci publicæ invidit.

XXI.

Ex variarum facultatum studiis, quibus excelluit, peculiaris locus debetur Philosophiæ naturali, cujus abdita quædam & corporis humani miram structuram adhuc adolescens sagaciter exploraverat. His de rebus Johannes Maria Lancisius Clementis XI. Comes Archiatrorum sacri Palatii non semel ad eum scripsit. Longa etiam epistola de morbi genere, quo A. D. 1712. extinctus est Horatius Albanus Pontificis frater. Ei noster Anatomicorum descriptionibus fuse respondit. Utriusque vero literæ primum prodiere inter Ephemerides Curiosorum Germaniæ in appendice Centuriæ III. & IV. deinde Genevæ A. D. 1718. tom. II. operum Lancisii pag. 376. De Physicis quoque scripsit nonnulla ad Antonium Vallisnerium in gymnasio Patavino publice docentem, ac inter cetera epistolarem Dissertationem Italicam *de generatione vermium*, quæ impressa est in opere Vallisnerii de hoc argumento pag. 34. Ad hæc quum Johannes Polenus Marchio, in eodem gymnasio tunc meteora, postea mathematicem ex edito loco explicans, libellum de eclipsi A. D. 1715. diei III. Maii Adriensi Episcopo dono misisset, illius phænomeni caussam Antistes alia via uberrime explicavit: quam Polenus summis laudibus extulit, typisque mandandam curavit A. D. 1716.

XXII.

Jam constat quæ Adriensis Præsul perhonesto ocio quæsito lucubraverit, sanctissimos Ecclesiæ Episcopos patresque imitatus, qui pastorales curas interdum amœnioribus studiis temperare consueverunt. Nunc ad reliquas ejus animi opes explicandas sermonem converto.

In

In magnis viris eæ virtutes ſpectantur , quæ mores componunt : quas inter ſummum locum prudentiæ tribuunt, ſine qua nulla eſt virtus. Hac ergo , quam abeunti non fruſtra commendaverat optimus Colloretus, ita fuit prædicus noſter antiſtes, ut negocia quæque vel ardua ſuæ parœciæ feliciter procuraverit : quo eum nomine ſæpius ab ipſis proceribus Venetorum Reipublicæ probatum audivimus . Quatuor enim prudentiæ novercas, quas vocat Ludovicus Granatenſis , feliciter cavit . Eæ ſunt *præcipitatio* , *affectio*, *pertinacia* , & *vanitas*. Contigit aliquando Epiſcopi munus in magnum diſcrimen adduci ob nonnullorum pravas artes , pacem perturbare conantium . Sed vir ſapiens quo tenderent illorum molimina conſpicatus, ea prorſus eluſit. Non is tamen fuit, qui ſuam Apoſtolicam dignitatem a quoquam impune labefactari tacitus quodammodo & videns ipſe unquam conſenſerit . Ubi id fortaſſe tentatum eſt , virtutem ſacerdotalem invictus exeruit: neque animum certe deſpondit . Plura dicere non attinet. Æquum & juſtum ita coluit, ut ſemper ſe alienum oſtenderit a ſuſpicionis labe, qua ob favorem aliquid datur, aut ob tædium laboris ab æquo diſceditur . Itaque ipſe per ſeſe controverſias aut accuſationes ad ſuum judicium deductas ſedulo expendit: ſique interdum corripiendi eſſent qui deliquerant , tanta humanitate atque manſuetudine id fecit , ut a reis ipſis gratiam iniret . Temperantiæ plurimum ſtudens, tenui menſa , neque ciborum delectu referta, uſus eſt, ſolitus ſæpe dicere, Epiſcoporum reditus in pauperes, non in ciborum copiam erogandos . Hoſpites tamen munifice & large excepit, eosque ſecum perpetuo habere voluiſſet. Immo interdum clam etiam illac prætereuntes in ſuas ædes peramice trahendos curavit . V. C. Dominicus Lazarinus , politioris doctrinæ in gymnaſio Patavino interpres, hoc non ignorat. Scilicet optimus præſul Paulli Apoſtoli , cujus auctoritate nihil eſt gravius , in epiſtola ad Romanos XII. 13. & I. ad Timotheum III. 2. *hoſpitalitatem* Epiſcopo commendantis, memor fuit: ad quem locum poſteriorem egregie Sedulius: *Laicus* , inquit, *unum aut duos*, *aut tres* , *aut paucos recipiens*, *implevit hoſpitalitatem* . *Epiſcopus niſi omnes receperit* , *inhumanus eſt* . Patavium , ubi apud præcipuos celeberrimi gymnaſii doctores magno in pretio habebatur, quotannis divertit , a Georgio Cornelio Cardinali perhumane invitatus , ut in ſeminario epiſcopali diſputationes ſub præclaris magiſtris ab ingenua juventute de more ſub finem æſtatis habendas ſua præſentia honeſtaret, toti rei literariæ dirigendæ præfecto viro laborioſo & perdocto Jacobo Facciolato, Epiſcopi ſtudioſiſſimo: qui eo vix demortuo quoddam illius vitæ breviarium raptim cudit ediditque, ut hoc pietatis, ſuæque obſervantiæ argumento tanti viri memoriæ parentaret.

XXIII.

XXIII.

Majorem omnium virtutum, caritatem dico, qua Deo jungimur, Præsul in omni vitæ suæ curriculo integerrime servavit. Quam vero Dei caritas gignit, inque homines exercetur, ita amplexus est, ut omnes ægrotos inviseret, & sanctissimis verbis solaretur: quo in officio peragendo nulli unquam suo incommodo pepercit: quacumque enim hora arcesseretur, promptissimus accurrebat. Egenis sua ipse manu viritim pecunias largiebatur. Atque hoc loco memorare juvat quo pacto se gesserit in eleemosynis faciendis. Eas ille, disciplinæ veteris observantissimus, in Ecclesiarum, ægrotorum, viduarum, pauperumque beneficium impendit. Divini præcepti memor, quicquid ex modesta vivendi ratione superesset, in hæc pietatis officia distribuit, ipsas quoque domesticas supellectiles distributurus, ab ingruente vi morbi non interceptus. Nullas opes suis ditandis reliquit. Quin ipsos fratris filios, ab se Christiane educatos, & literis informandos in gymnasia traductos, paternis, non Ecclesiæ sumtibus ali voluit.

XXIV.

(6) Tam præclara agentem mors levi primum, deinde letali repente aggressione adorta est. Urinæ difficultatem experiri dudum cœperat, quæ gravior sensim effecta valetudinem ejus imminuit. Initio mensis Februarii Anno Domini 1717. in febrim incidit, quæ contemnenda primum visa est. At post aliquot dies erupit, nullum remedium admittens. Ad viri periculum Vallisnerius & Facciolatus Patavio propere accurrerunt; sed (heu!) re ad extremum perducta. Episcopus vero de expianda anima sollicitus, Ecclesiæ Sacramentis magna religione susceptis, Rodigii decessit v. Kal. Martias A. D. 1717. inter præcipua Italiæ literatæ sidera collocandus; meliori tamen sæculo, vitaque longiori maxime dignus. Elatus est ferali pompa, tota urbe comitante ac lacrymas effundente, sepultus in æde principe, ubi Nicolaus ac Petrus a Turre fratres de inscripto monumento ei ponendo cogitaverunt. (7) Illud eo libentius hic damus, quod alias editum, corruptum alicubi visum fuerit.

PHILIPPO . A TVRRE
EPISCOPO . ADRIENSI
IN . VRBE . RERVM . DOMINA
INTERIORIBVS . DISCIPLINIS
MORVMQVE . SANCTIMONIA . PROBATO
QVI
REM . LITERARIAM . EGREGIIS . MONVMENTIS
AVXIT
POPVLOSQVE . SIBI RELVCTANTI . COMMISSOS
VERBO . ET . EXEMPLO
TAM . BENE . SERVAVIT
VT . FINITIMIS . ET . LONGINQVIS
MAXIMVM . SVI . DESIDERIVM . RELIQVERIT
SOLA . IMMORTALITATIS . EIVS . FIDE LENITVM
OBIIT . V. KAL. MARTIAS . ANNO . SAL. MDCCXVII.
EPISCOPATVS . XIV.
VIXIT . ANNOS . LVIII. MENSES . IX.
DIES . XXV
NICOLAVS . ET . PETRVS . A TVRRE
PATRICII . FOROJVLIENSES
OB . TANTI . FRATRIS . JACTVRAM
MOESTISSIMI . PP.

Tenaci memoria, ſubacto judicio, & peracri meditatione inſtructus plurima legit, multa obſervavit, primo loco intimos doctrinarum fontes ſedulo perſcrutatus. Neque unam elegantiorem, Græcam ſcilicet Romanamque, ſed omnium gentium & ſæculorum antiquitatem mente complexus eſt. Quæ vero pridem in legendo obſervaverat, hæc poſtmodum, aliquid commentaturus, ſua quodammodo facere videbatur. Hoc uſus ſtudiorum ductu, & ingenio critico pollens, aptoque ad omnium magnarum rerum ſcientiam, nihil inepte moliri viſus eſt unquam. Poeticam facultatem Gratiis & Muſis faventibus coluit, ſic tamen, ut a præceptionibus Cardinalis Antoniani lib. III. c. XXXIX. de Educatione Chriſtiana, haudquaquam recederet. Quo optimas artes promovendi ſtudio flagrabat, ægre tulit, Græcas Latinasque literas, Italici nominis olim proprias, aliena culpa languere, & parum coli. Græce tamen & Latine doctos, qui copia rerum neglecta, extra grammaticorum pomœria non proſilirent, deque rebus parum ſolliciti, unis verbis diu noctuque inhærerent, vir ſapiens non multum probavit, quum alias de religione, deque republica benemereri gravioribus vigiliis poſ-

possent, exempla eorum secuti, qui, licet Græce parum docti, opera tamen cedro dignissima adornarunt, quæ Græce & Latine docti suspiciunt. Imitandos potius ajebat Musarum mystas variorum ordinum, qui in Græci & Latini eloquii arce steterunt quidem; sed perpetuo intra grammaticorum septa claudi nolentes, ad rem sacram profanamve lotis manibus contrectandum serio accesserunt. Ex his, qui turmatim occurrunt, Nicolaum Alemannum, Leonem Allatium, Lucam Holstenium, Sirmondum, Petavium, & Thomasium (summe venerabilem, omnique laude majorem, & recentis quidem, sed nunquam interituræ memoriæ Cardinalem) indicare sufficiat: quibus omnis literatorum chorus assurgit. Hi vitam suam in nudis verbis & dictionibus congerendis nequaquam triverunt. Græca & Latina lingua certe nihil præstantius, nihil utilius. Hoc negare quis audeat? Quin tamen his subsidiis ad graviores disciplinas, Græcis & latinis literis comprehensas, gnaviter nobis parandas uti debeamus, quis pariter neget? Græce quidem & Latine doctos, sed a multa lectione imparatos, ubi de alia facultate, quam sua, loqui contingit, pueriliter ineptire frequenter videmus, re, quam neglexerant, vel forte comtemserant, pudorem hoc pacto ipsis injiciente. Peropportune huc recidit percelebris ex hac schola Græce & Latine doctorum hominum Cœlii Rhodigini pronunciatum lib. XI. Antiquarum lectionum cap. XXVII. de se ita scribentis: multa *præflorasse ex veteribus memoriis nullum fuerit dispendium operæ, quando iis non parum sensus juvantur poetarum, quorum non vulgaria eruditio sæpe carminibus inserit: quæ haud facile assequare, ni librariam supellectilem diurna versaris manu, nec nocturna minus vel ultra satietatem*. Ita Rhodiginus ille, vir immensæ lectionis, & utriusque linguæ professor insignis. Hæc obiter dicta ridebunt fortasse qui secus ac *Turrio* & Cœlio visum, agere constituerunt. Rideant illi, modo valeamus. Sed de his jam satis.

XXV.

Ceterum *Adriensis antistes* judicio sanus & perspicax absurdas & audaciæ plenas opiniones sibi propinari passus est nunquam. Hoc aggredi ausos, voce aut scripto compecuit, errori ac mendacio, & eo minus gratiæ cum dispendio veritatis, per inania officia nunquam blanditus. Et lingua & calamo a loquacitate alienus fuit. Nihil joco fudit, omnia serio scripsit. Suppilandis aliorum scriniis minime indulsit, ut crambem recoctam, nihil scilicet novi & de suo, sed totum de alieno venditans, lectorum ocio abuteretur, multisque nulla vel admodum pauca complexus, non res, sed libros emit-

f 2 teret.

teret. In tanta luce literarum & copia rerum, ipse de sapientum judicio summe sollicitus, hæc agere nefas putavit. Ut palam fiat quo loco apud exteros, nedum nostrates, rei literariæ cultores, haberetur, aliquos præter Brencmannum superius adductum recensere non piget, qui Præsulem honoris caussa invisuri, Rhodigium, alias non adeundum, consulto diverterunt. Quorum nomina occurrunt, hi sunt. Alexander Cunningamius Scotus, a Britannis Venetias ablegatus, Andreas Eques Fountaine Anglus, Carolus Baro Smettau Borussus, Jo. Jacobus Mascovius Saxo, Scipio Marchio Maffejus Veronensis, Nicolaus Madrisius, & Justus Comes a Pace, ambo Utinenses, quorum alter lectissimus adolescens in ipso ætatis flore præreptus uberes lacrymas nobis elicuit. Primo nominandos postremo loco servavi, Carolum Augustinum Fabronum Pistoriensem, mox S. R. E. Cardinalem, & Dominicum Passioneum Forosemproniensem, tunc magnæ spei juvenem, nunc Archiepiscopum Ephesium, & in Helvetia Sanctæ Sedis Apostolicæ Apocrisarium. Hi *Turrium* sibi Romæ pridem amicitia junctum, & quamplurimi factum, Rhodigii quoque convenerunt. Sed & quidpiam aliud hic memorandum. Religiosus Episcopus ea caritate, qua pro animarum salute flagrabat, viros cetera doctos, multisque naturæ donis instructos, sed funestissimo schismate ab ortu involutos, sinceræ benevolentiæ doctrinæque plenissimis verbis de errore, in quo versarentur, monere non prætermisit. Nemo vero fuit unquam, qui id, sibi peramanter dictum, ægre acciperet. Immo contra non defuit qui serio de re tanti momenti se cogitaturum cum grati animi significatione optimo antistiti polliceretur. Rebus suis postulantibus ubi eum Venetias trajicere contigit, omnium ordinum viris fuit acceptissimus, præsertim elegantis doctrinæ studiosis Jo. Baptistæ Recanato patricio Veneto, Poggii latinæ Historiæ Florentinorum editione conspicuo, Jo. Antonio Astorio, Apostolo Zeno, Hieronymo Davidi, Laurentio Patarolo aliisque non paucis, quos ad unum omnes longum esset enumerare.


XXVI.

Adriensis Episcopus, quod ad staturam, formamque attinet, fuit procerus erectusque: capillis canus, facie macer, supercilio gravis & dignitatem præferens; colore subalbus, raris ante os dentibus, sermone humanus, & ad majestatem quandam a natura ipsa compositus. Habitu corporis parum firmus, valetudine propterea imbecilli, nec prospera usus. Hæmorrhoidarum profluvium patiebatur,

tur, quod aliquot menses priusquam in cœlum reciperetur, ita suppressum, ut erumpere difficulter posset, caussam fortasse morti præbuit; quandoquidem morbi genus, quo decubuit, a medicis dissecto etiam cadavere fuit ignoratum. At in eo nobiliora fuere animi bona, quam corporis. Etenim præter excellentem, raramque doctrinam sacram æque ac profanam, probitas non passim obvia, caritas pura, ceteræque virtutes, tanto viro dignæ, in illo nunquam desideratæ.

XXVII.

(8) Multa de Ecclesiis *Aquilejensi*, *Forojuliensi*, & *Adriensi* in adversaria conjecerat; sed vel nondum perfecta, vel non concinne absoluta in schedis reliquit. Nec magnæ Ecclesiæ Aquilejensi magni Episcopi patrocinium erat invidendum. Ejus enim Patriarchatus originem omni schismatis labe purgaverat. Hæc sunt, quæ de absolutissimi antistitis vita, ac ingenii monumentis nunc scribenda duximus, quantum scilicet *Elogio historico*, ejus operi præmittendo, comprehendi poterat. Siqua ab aliis secus ac a nobis prodita sunt, ea cum suspectis & a veritatis tramite deviis omnino reputanda esse pronunciamus. Nos perspectissima tantum, quæque ipsi vidimus, literis consignavimus, ut narratores gestorum quidem, sed & laudum, quas viri laudati & ab assentationibus vacui in eum congesserunt; quandoquidem videmus, hoc ferme unum virtuti præmium superesse. Reliqua enim præmia, uni virtuti debita, alii habere possunt, non item virtutem, quum ii, qui præmia largiuntur, virtutem largiri non possint.



NO-

NOTÆ.

Clarissimo Archiepiscopo Justo Fontanino, vel ex hoc sui grati animi monumento erga Philippum a Turre Episcopum Adriensem abs se prolato, quo posterorum memoriæ illustriora facta, virtutesque ejus elogio historico complectendo, tradidit, quodque huic præmittere editioni pretium operis esse duximus, nos plurimum esse obstrictos, ultro fateamur oportet. Verum, quum Censoria quadam scribendi formula, qua ingenium minus facile, & in ceteros minus blandum ostendit, §. XXVII. *concludat, notulas aliquas addere statuimus; ut sciatur ea, quæ Cl. Vir Hieronymus Comes Leonus in altera, quam italice scripserat, Vita consignavit (Leonum enim inibi notari certo scimus) si secus ac a Fontanino prodita sunt, non esse* cum suspectis, & a veritatis tramite deviis omnino reputanda.

(1) *Sub initium; ut domesticæ tabulæ nos docent.*

(2) *Hic fallitur Leonus, qui eam ex Comitibus Frumentinis* de Cusano *facit.*

(3) *Philippus Patavii accepit Doctoris insignia, die* XXV. *Januarii. Et in hoc examine Promotore usus est, non Antonio Vaira, sed is fuit* D. Comes Jacobus Caimus Utinensis ad lecturam juris Cæsarei de sero in primo loco, *ut ex tabulis privilegii apparet.*

(4) *Narrat Leonus Cardinalem Norisium suum Opus* Cenotaphia Pisana, *antequam in lucem ederet, nostri Philippi judicio subjecisse. In hoc etenim fatemur allucinatum. Norisius enim librum hunc vulgavit anno* 1681. *septennio antequam Patruus noster Romam proficisceretur. Illuc porro referuntur hæc verba Fontanini, ubi de amicitia cum Norisio Romæ inita,* cui seni, *inquit (Norisio)*, ipse juvenis (*Philippus*) nunquam antea innotuit. *Sed numquid notus esse non poterat?*

(5) *Uterque, Fontaninus, & Leonus, sed diversa narratione factum seu cogitatum Clementis XI. Pontificis Maximi consignarunt, de Sinarum amplissima, nempe, Legatione nostro Philippo demandanda. Putamus tamen Cl. Leonum a vero non aberrasse, postquam maxime eadem animadvertimus & in Funebri Oratione Cl. Viri Francisci Treccii, qui ab ipso vivente Episcopo multa exceperat.*

Miramur vero magis Cl. Fontaninum, pro eo quod inter ipsum & Patruum nostrum epistolarum intercedebat familiarissimo commercio; miramur, inquam, illum ejusdemmet Summi Pontificis Clementis animum, mentemque

que latuisse. Adriensi etenim Episcopo, quum Græcam & Latinam Ecclesias spes affulsisset simul posse uniri, difficillimam hanc provinciam dare cogitaverat, eum in re tanta, tamque ardua ad Rusiæ Magnum Ducem ablegando. Qua de re certissimum apud nos testimonium sunt Epistolæ Magni in Ecclesia Viri, postea S. R. E. Cardinalis moribus, & doctrina amplissimi.

(6) *De extremo morbo, ipsemet Clariss. suique amicissimum Antonium Vallisnerium per literas consuluerat. Datæ sunt Rhodigii die* 18. *Januarii ann.* 1717. *Iis graves sui Corporis affectus postquam descripsit; urinæ, scilicet, reddendæ difficultatem; Hæmorrhoidum suppressionem; in abdomine intumescentiam, duritiem, & tensionem; sitim item inexplebilem; in periculosissimum se morbi genus prolabi ait, his verbis:* che Dio voglia non vada a finire in qualche Timpanite, e poi di peggio. *Et quem timorem statim initio epistolæ explicaverat, sub finem artis medicæ subsidium implorans, iterum suum vitæ terminum sibi instare affirmat hoc modo:* ma ella mi dia qualche rimedio, e qualche soccorso. So che la mia salute l'è cara. Non voglio dir la vita, perche non siamo, lodato Iddio, in questi termini; ma questa sorta di mali vanno però poco a poco conducendo dove hassi da arrivare. *Et heu, quam propere. Vix post mensem exactum, triste vaticinium adimpletur.*

(7) *Solus Leonus sepulchrale hoc elogium ediderat; alicubi quidem corruptum. At venia est ei danda, si passim iis credidit, quos par erat opinari, optime omnia nosse de Episcopo, ac de rebus ejus.*


(8) *In recensendis ejus operibus sequens Oratio ab utroque ejus Vitæ scriptore fuit prætermissa, primus studiorum suorum in lucem editus partus* = Orazione Panegirica a Domenico Mocenico, Proveditore alla Sanità &c. Detta nell' Accademia degli Animosi di Cividale &c. In Udine 1683. *Nullusque eorum explicationem meminit antiqui lapidis Adriæ extantis, quam in Præfatione, diximus laudari a Patribus Trivultianis in suis memoriis anni* 1703. *de mense Majo, & Augusto. Epistolarem etiam Dissertationem hic subjungimus, quam vulgavit Cl. Leonus anno* 1722. *Tom.* 1. *art.* 11. Supplementi de' Giornali, *post jam editam Auctoris Vitam, hoc titulo* = Lettera sopra una pubblica Iscrizione di Confini, che stà registrata a lettere antiche nel Palazzo pubblico di Asolo. E sopra un frammento d'altra Iscrizione pur d'Asolo, al Sig. Dott. Jacopo Facciolati &c.

Ma-

Manuscripta etiam quam plurima adservamus; inter quæ dissertationes varii generis a Scriptoribus ejus vitæ partim ignoratas, tum ad Ecclesiasticam, tum ad profanam eruditionem pertinentes. Sed & doctissimorum Virorum tam ex Italia nostra, quam ex ultra montes epistolarum copia locupletatur Bibliotheca Patrui nostri, jure hæreditario ad nos delata; omni, ut ita dicam, scientiarum genere refertissimarum, quas ipse apprime aut profitebatur, aut certe mirifice in iis delectabatur.

Ceterum singula Philippi a Turre gesta a Cl. Leono tradita in laudata Vita, Venetiis edita anno 1721. *& in Italicarum ephemeridum Tom.* XXXIII. *art.* I. *recusa, veritate fulciri constanter, sancteque pronunciamus.*





CAPUT PRIMUM.

Totius quæstionis status. Tempus mortis Elagabali pendet a die ejus Antiochia in Urbem adventus. Hic dies ut habeatur, modus militaris itineris antiquorum est explorandus. Illud iter potuit absolvi spatio trium mensium. Hinc adventus Elagabali in Julium mensem est referendus. Vignolii difficultates. Ejus de militari itinere sententia. Hujus itineris mensura XX. *vel* XXV. *millia passuum in singulos dies fuisse probatur ex historia Romana. Locus Vegetii explicatus. Ex eodem duplex gradus militum Rom. in expeditionem euntium. Vegetius iterum explicatus. Vignolius Auctori immerito opponit. Ejusdem mentem male interpretatur. Quid sit Mansio. Quantum altera ab altera distabat. Earum usus. Quid* secundis, tertiis, quartis *Castris. Mansiones ubi erant dispositæ; & iterum de earum usu. Ex his falsa Vignolii opinio, de militaris itineris mensura. Probatur etiam ex absurdis, quæ hinc sequerentur. Hujus itineris modus iterum exemplis demonstratur; & probatur maxime auctoritate Polybii. Ricciolius emendatus. Mensis & Nox prælii Cremonensis inter Antonium, & Arrium Varum inquiritur, & statuitur. Eclipsis Lunæ accidit in nocte ejusdem pugnæ. Itinera militaria Romanorum in Tabella exposita; qua justum unius diei iter* XX. *M. P. vel exæquare, vel excedere demonstratur.*

PRIMA quæ inter me, & Cl: Vignolium agitur quæstio, totius disputationis veluti cardo est & caput. Inquirimus, quo anni tempore Antoninus Elagabalus vita excesserit: num mense Martio A. C. 222., ut mihi cum Pagio visum est; an vero post diem XVI. Maii, quod ille pro

 certo

certo habuit. Convenit autem inter nos, præcipuum temporis hujus characterem desumi ab Eutropio, qui lib. 8. cap. 13. refert Elagabalum *biennio & octo mensibus* post adventum in Urbem interfectum fuisse; quare si adventus hujus dies dignosci poterit, mors etiam facile patefiet. Porro de hoc etiam consentimus, ut idem Augustus Nicomedia discesserit initio Aprilis ann. 219. quocirca dies adventus pendet a temporis spatio, quod ille insumsit in iter Nicomedia Romam, quod quidem iter non discrepamus esse M. D. milliarium. Cum igitur in priore Opere pag. 7. viam hanc posse tribus mensibus absolvi conjecissem, propterea subdidi, *adventum Elagabali in Urbem conferendum esse in mensem Julium:* quæ verba mea V. Cl. fronti hujus capitis præfixit sibi oppugnanda. Id vero confici dixeram ex modo itineris militaris antiquorum, quod iter cum contineret in singulos dies millia passuum viginti, vel quinque & viginti, distributis diebus per mille & quingenta milliaria, & datis intervallis opportunis, tres menses conflantur: qui ducti ab exordio Aprilis, quo susceptum est Elagabali iter, in Julium desinunt mensem. At V. Cl. negat Imperatorem hunc cum duabus Augustis, Matre & Avia, & maxime cum exercitu, iter hoc tam celeri gradu facere potuisse, ut Julii mensis initio Romam pervenerit. Quippe sibi ait, *non modo difficile* videri, *verum etiam nec fieri posse* existimat, *milites armis instructos, neque unius vel alterius diei, sed plurium mensium iter facturos*, viginti aut quinque & viginti milliaria in singulos dies potuisse conficere: quamquam hæc mensura itineris militaris pridem ab eruditis viris auctoritate Vegetii tradita fuerit. Ergo in hoc capite sibi probandum sumit, militare unius diei iter apud antiquos non amplius quam OCTO, aut DECEM ad summum milliaria complexum fuisse: qua ratione digestis octo hisce, vel decem milliaribus per M. D. & computatis diebus, qui ad exercitus quietem sunt necessarii, contendit septem fere menses Elagabalum consumsisse in hoc iter, & Romam non ante Novembrem pervenisse.

At

At si ego evicero, quod a me evictum iri plane affirmo, nostram illam, & ab omnibus probatam hactenus, itineris militaris mensuram, tum auctoritate, tum exemplorum copia undequaque fulciri; hanc vero, nunc primum a Cl. Vignolio in adspectum lucemque hominum eductam, nullo inniti solido fundamento; hoc erit etiam demonstratum, Elagabalum advenisse Romam initio mensis Julii ann. 219., atque inde ex Eutropio numeratis mensibus octo supra annos duos, mortem ejus in Martium mensem ann. 222. omnino conferendam esse. Ceterum in re hac longior ut sim, oportet: nam ut appareat, *non modo fieri potuisse, verum etiam factum esse*, ut milites armis instructi, & plurium etiam dierum iter facturi compleverint uno die XX. & XXV. milliaria, colligenda fuere ex historia cum Romana, tum Græca itinerum militarium exempla complura: quod cum antea nemo præstiterit, nam Scriptores de militia antiquorum nihil aliud ferme attulerunt, quam locum Vegetii, de quo statim, & exempla quædam summæ celeritatis, quæ ad negocium nostrum non pertinent; propterea duo priora hæc capita, in quæ rem totam distribuam, component justam veluti ac plenam DE ITINERIBUS MILITARIBUS tractationem.

Vegetius itaque lib. I. de re militari cap. 9. hæc habet; *Militari ergo gradu viginti millia passuum horis quinque duntaxat æstivis conficienda sunt. Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quatuor millia peragenda sunt. Quidquid addideris cursus est, cujus spatium non potest definiri.* Hunc ego locum Vegetii respexi cum diurno militum itineri XX. millia passuum, vel XXIV. dedi; neque me deceptum arbitratus sum, cum docti omnes consentiant, Vegetium ita intelligendum esse: inter quos Lipsius de militia Rom. lib. V. dial. 11. & 14. Petrus Ramus de militia Julii Cæsaris parte II., & Bergerius de publicis & militaribus viis lib. IV. sect. 9. At V. Cl. quamvis fateatur ita ab eruditis acceptum hunc locum; attamen Vegetium ait de tironibus loqui; quodque *a tironibus non ar-*

matis exercitii caussa tantum fieri solet, id milites armis instructos exequi posse negat. Verum quidem est, Vegetium de tironibus loqui, sed si totum hoc caput, imo & librum hunc primum quis perpendat, nihil aliud doceri tirones animadvertet, quam ut assidua exercitatione discere assuescant, quod postea in acie & in militia custodiendum illis erit. Ideo enim, ut idem auctor lib. I. cap. 1. monet, exercebantur tirones, ut *quæcumque evenire in acie atque in præliis possent, omnia in campestri meditatione prænoscerent. Siquidem*, ut ait lib. II. cap. 22., *ratio manifesta sit, semper in otio debere fieri, quod necessario faciendum videtur in prælio*. Porro gratis dicitur, tirones non incessisse *armatos*: id enim nec Vegetius habet, nec disciplina & consuetudo in iis exercendis patitur. Idem auctor initio capitis 19. libri ejusdem docet, *pondus quoque bajulare usque ad* LX. *libras, & iter facere gradu militari frequentissime cogendos esse juniores*. An ergo illis ita esse delicatis liceret, ut arma non ferrent? Ceterum num Vegetius intelligendus sit de solis tironibus, exempla itinerum militarium, quæ magno in numero cum in hoc capite, tum in sequente afferam, satis superque ostendent.

Duplex itaque ex Vegetio fuit gradus militum Romanorum in expeditionem euntium, *militaris*, quo quinque horis æstivis conficiebant XX. millia passuum, & *plenus* quo, citatior cum esset, quinque iisdem horis M. P. XXIV. peragebant. Horæ Romanorum erant inæquales; diem enim toto anno dividebant in duodecim horas, sicuti & noctem: quare majores erant diurnæ in æstate, in hieme minores. Romæ, quæ urbs habet gradus prope 42. latitudinis, arcus diurnus in Solstitio æstivo est circiter quindecim horarum. Quamobrem quinque horæ æstivæ inæquales æquivalent æquinoctialibus, seu nostris horis sex cum quadrante. Proinde milites ambulantes in parallelo Romano una hora æquali, seu nostra conficiebant 3200. passus. Ceterum hæc Vegetii præscriptio de consueto militari itinere accipienda est: nam aliquando plura etiam milliaria peragebantur, prout mansiones & loca, ad quæ exercitus eo die pervenire debebat,

erant

erant diſpoſita : quod in exemplis adducendis perſpicuum fiet. Tunc vero plus quam quinque horis æſtivo tempore militari gradu erat ambulandum.

Sed neque paſſus eſt V. Cl. a me iter militare ad *decem & octo* millia paſſuum perduci : quem milliarium numerum continere Manſiones in Thracia ex Lactantio de mortibus Perſecut. cap. 45. affirmaveram. Siquidem ille pag. 10. ait, ex milliaribus decem & octo, quibus Maximinus Perintho ad primam Manſionem proceſſit, juſtam diurni itineris militum quantitatem a me colligi non potuiſſe : Nam ſubdit, ejusmodi Maximini profectio omnino curſus fuit, & in magna celeritate poſita, ut patet ex verbis Lactantii, quæ ipſe profert, atque ego paullo poſt repetam. At non ego ex feſtinata illa Maximini profectione, quam ne indicavi quidem verbo ullo, militaris itineris quantitatem collegi; ſed dixi, juſtum militum iter ex diſtantia Manſionum, quæ in Thracia ex Lactantio ad XVIII. milliaria extendebantur, cognoſci poſſe : quod quam verum ſit, ex iis quæ de Manſionibus poſtea tradam, facile conſtabit. Porro ipſa quoque celerrima Maximini profectio mihi plane ſuffragatur. *Maximinus*, inquit Lactantius cap. eodem 45. *exercitum movit è Syria*, *&* MANSIONIBUS GEMINATIS *in Bithyniam concurrit*. Et paullo poſt : *Accepta in deditionem Perintho, aliquanto moratus, proceſſit ad Manſionem millia decem & octo. Nec enim poterat ulterius, Licinio jam ſecundam Manſionem tenente diſtantem millibus totidem*. Curſus certe fuit illa Maximini profectio, quia *geminatis manſionibus* concurrit. At ſi non geminaſſet manſiones, verum unam tantum peragraſſet, non curſus ejus profectio, ſed juſtum unius diei iter fuiſſet. Ideo enim notavit Lactantius, Maximinum *geminaſse* manſiones, quia duplum itineris diurni confecit. Joannes Columbus in notis ad hunc locum Lactantii hæc ſcribit : *Geminatis manſionibus, ideſt, ut quotidie tantum itineris conficeret, quantum alias biduo*. Una ergo manſio decem & octo milliaria complectens, unius diei iter eſt. Ita poſt captam Perinthum volebat Maximinus duas manſiones, & ſex & tri-

ginta

ginta millia passuum progredi : qui profecto cursus fuisset. Ergo una mansio, ac decem & octo milliaria, non cursus, sed justum unius diei est iter. Quoniam vero Mansiones ad itinera militaria exploranda & definienda maxime pertinent, de iis agendum est: quo etiam, quæ modo dicta sunt, plurimum accipient lucis & momenti.

Mansio, inquit Salmasius ad Solinum pag. 495. ubi plura de Mansionibus, locus erat in quo confecto itinere per noctem quiescebant, & sumebatur ut plurimum pro unius diei itinere. Nam *manere* veteribus significabat *pernoctare*, ut notavit doctissimus Gisbertus Cuperus, nunquam sine laudis præfatione nominandus, ad locum Lactantii supra allatum: Quæ cum de qualibet mansione excipiendis viatoribus apta dicantur; Mansiones, de quibus nunc agimus, erant Stationes in viis publicis Romani Imperii, in quas se milites expeditionis tempore quiescendi caussa recipiebant: quæ annonis & pabulis ex vicinorum collatione instruebantur; & ita dispositæ erant, ut altera ab altera abesset *unius diei itinere*. Quoniam vero Mansiones etiam cursui publico inserviebant, divisæ erant in Mutationes in quibus cursores mutabant equos. Idcirco in itinerario Burdigalensi, seu Hierosolymitano, in quo locorum, urbium, vicorum, villarumque nomina propria appositam habent Civitatis, Mutationis, & Mansionis denominationem, plures annotantur Mansiones quam Civitates, & multo plures Mutationes quam Mansiones. Hæc Bergerius in opere paullo ante laudato lib. IV. sect. 9. Porro apud Grecos *Mansio* est σαθμὸς, quod vocabulum Hesychius ita explicat: σαθμοὶ, σρατιωτικὴ κατάλυσις, *militare diversorium*, *seu mansio*. Qua voce utuntur passim historici Græci, ubi de itineribus militaribus agunt, ut Herodotus, Xenophon, Josephus, & Arrianus, quorum loca aliqua postea ad rem proferam. Latini antiquiores, quibus nomen Mansionis ignotum, *Castra* vocant, quod Romani, quibus in locis pernoctandum erat cum exercitu, statim Castra metabantur: quamobrem cum apud eos legitur, *secundis*, *tertiis*, *quartis Castris*, legitimum militare iter intelligendum est, quod

quod duobus, tribus, vel quatuor diebus conficitur. Exempla passim extant apud Romanos Historicos, quorum aliquot usui erunt, cum de diurno militum itinere agam. Tam igitur apud veteres *Castra*, quam apud ævi sequioris Scriptores *Mansio*, & apud Græcos σταθμὸς, iter erat unius diei.

Ergo, ut ante dixi, Imperatorum ævo in viis publicis & regiis, quæ *militares* quoque appellabantur, propterea quod milites in expeditionibus per eas incedebant, Mansiones erant dispositæ, ubi Civitates non essent, ædificiis amplis, & omni commeatuum copia pro eorundem militum usu instructæ. Narrat Lampridius de vita Severi Alexandri capite 45. hunc Imperatorem itinerum dies publice proposuisse; ita ut edictum penderet ante duos menses in quo scriptum erat: *Illa die, illa hora, ab urbe sum exiturus, & si Dii voluerint, in prima MANSIONE mansurus*, deinde per ordinem singulæ Mansiones notabantur: ubi quidem de militari profectione sermo est. Ammianus Marcellinus lib. 16. in fine refert, Constantium *ab Argentorato, cum pugnaretur, Mansione quadragesima* disparatum fuisse. Vegetius quoque Mansionum militarium meminit lib. 3. cap. 8. sub initium. Porro Mansiones instructæ erant horreis publicis, in quibus commeatus, & annonæ servabantur, ut militibus itinerantibus, atque in eis quiescentibus usui essent. Idem Lampridius Cap. 47. de eodem Alexandro, *milites*, inquit, *expeditionis tempore sic disposuit, ut in Mansionibus annonas reciperent*. Et Eumenius in panegyrico Constantini, sive alius incertus auctor cap. 16. refert Maximianum Herculium, cum fugam arriperet, commeatus omnes, qui in Mansionibus erant, consumsisse, ne Constantini exercitus, *consumtis*, inquit, *copiis Mansionum, eum consequi posset*. Propterea maxima cura & diligentia annonæ publicæ in Mansionibus custodiebantur: quod Anthemio præsidi edixerunt Valentinianus, & Valens in leg. 2. Cod. de conditis in publicis horreis: Cum ad quamlibet urbem, MANSIONEM*ve accesseris, protinus horrea inspicere te volumus, ut devotissimis militibus depuratæ, & incorruptæ species præbeantur*. Ceterum

terum multo ante Romanos Auguſtos in viis militaribus & publicis Manſiones ædificiis amplis conſtruendas Perſarum reges curaverant, ut de via quæ a Græcia in Perſidem ducebat, narrat Herodotus lib. V. *Ubique*, ait, *ſunt regii Stathmi pulcherrimi*: in quibus par eſt credere ſervatas quoque fuiſſe annonas militibus euntibus diſtribuendas. De hac via rurſus in ſequentibus.

Hinc igitur plane conſtat, Manſiones unius diei itinere inter ſe abfuiſſe; propterea quod ad eas quotidie oportebat milites divertere, ut paratas annonas & pabula reciperent, atque in iis pernoctarent. Nec poterant alio declinare, vel in medio inter unam & alteram Manſionem, ſeu Civitatem conſiſtere: quia annonam & cetera ad cibum & uſus alios neceſſaria non inveniſſent. Adducam in rem hanc egregium S. Ambroſii teſtimonium, eo libentius, quod reperitur eo ipſo in loco, qui a Cl. Vignolio allatus eſt pag. 15. & 16. nimirum in Commentario Pſalmi CXVIII. octonario V. *Miles*, inquit, *qui ingreditur iter*, *ab Imperatore itinerarium accipit*, *&* *cuſtodit illud*, ... *ut inveniat commeatuum parata ſubſidia. Si alio ambulaverit itinere*, *annonam non accipit*, *MANSIONEM paratam non invenit*. In Manſionibus itaque conſiſtendum fuit militibus, ut commeatum & annonam invenirent. Hinc fit, ut tantum illi ſingulis diebus cogerentur ambulare, quantum Manſiones, ſeu Civitates inter ſe diſtabant; & tot horas inſumere, quot militari gradu incedendo opus erat, ut ad locum recipiendis pabulis deſtinatum pervenirent. Manſiones ergo illæ, de quibus ante ex Lactantio meminimus, cum diſtarent decem & octo milliaria, totidem omnino die uno conficienda fuerunt militibus. Aliis in regionibus Manſionum & Civitatum varia erat, pro locorum ſitu & opportunitate, intercapedo. In Burdigalenſi itinerario, in quo ubique, ut dictum eſt, notantur intervalla Civitatum & Manſionum, & identidem in ſummam recolliguntur, nulla fere eorum minus ab alia disjuncta eſt, quam XVIII. milliaribus, plurimæ ad XX. & XXV. & amplius aliquando perducuntur.

Eſto

Esto unum & alterum exemplum in via, quam tenuit Elagabalus, secundum summam recollectam. *Fit*, inquit, *ab Aquileja Sirmium usque millia* CCCCXXII. *Mansiones* XVII. Rursus: *Fit a Sirmio Serdicam usque millia* CCCXIII. *Mansiones* XIII. Divisis milliaribus per Mansiones, remanent pro unaquaque Mansione, in primo exemplo milliaria XXV. in secundo XXIV. Ex his licet cognoscere quam vera esse possit Cl. Vignolii opinio, quæ diurno militum itineri milliaria OCTO, vel DECEM tribuit. Nam si non amplius quam octo, vel decem millia passuum confecissent milites, media via inter unam & alteram Mansionem coacti fuissent subsistere: ubi nec *commeatuum subsidia*, & *annonam* recipere, nec *Mansionem paratam*, ut inquit S. Ambrosius, invenire potuissent. Nam extra Mansiones & Civitates nemo unquam scripsit fuisse loca alia (quippe Mutationes, ut nomen ipsum indicat, mutandis equis tantummodo inserviebant) in quibus *horrea* essent instructa, ut *devotissimis militibus*, uti ajunt Imperatores, *incorruptæ species*, seu *copiæ Mansionum*, ut loquitur Eumenius, præberentur. Contra vero apparet, mensuram itineris militaris, quam nos computando viam Elagabali ad XX. vel XXV. millia passuum perduximus, omnino esse & Mansionum rationi, & veritati consentaneam. Ceterum Mansiones militares fuisse in usu etiam ævo Elagabali, ex locis Lampridii de Severo Alexandro ante recitatis, in aperto est. Præterquam quod si post ipsum mensura diurni militum itineris inter unam & aliam Mansionem continebatur; ante ipsum quoque eundem modum itineris uno die milites tenuisse non est dubitandum. Nam disciplinæ militaris consuetudo ita facile mutari non potuit: quod etiam tot afferenda itinerum exempla manifeste docent.

Hæc certa cum sint, uberius tamen ac luculentius diurni militum itineris modus explicandus est & demonstrandus. Primum occurrit historicorum maximus, qui rem hanc plane dirimit ac definit. Narrat Livius lib. XXI. cap. 27. editionis Venetæ ad usum Delphini, quam in posterum quo-

que appellabo, Annibalem comparatis omnibus ad trajiciendum Rhodanum, cum ex adverso Romanus hostis consisteret, jussisse, *Hannonem cum parte copiarum ire* ITER UNIUS DIEI. Hoc *unius diei iter* quot milliaria complectatur, statim his verbis explicat: *Ad id dati duces Galli educunt inde* MILLIA QUINQUE ET VIGINTI *ferme*. Unum hoc testimonium, quod neque interpretatione ulla eget, neque ullis ambagibus est involutum, satis esse posset ad nostram confirmandam, & Cl. Vignolii opinionem convellendam. At exemplis etiam res hæc veluti sub oculos est proponenda. Quæ quidem exempla non unius aut alterius diei erunt, neque militis expediti & sine armis; sed, quod esse *difficile*, *non modo*, *verum etiam fieri non posse* viro Clarissimo videbatur, exercitus repræsentabunt omni apparatu instructos, & gradu militari plurium dierum, imo & mensium spatio in expeditionem euntes.

Primum atque omnium antiquissimum præbet Polybius qui lib. II. pag. 145. editionis Basil. anni 1557. de Gallis Romam properantibus ait: *Cumque jam circa urbem essent, quam Clusium appellant, distatque ab urbe Roma non amplius* TRIUM DIERUM *spatio*, *nunciatur eis* &c. Clusium, nunc *Chiusi* apud Clanas paludes Roma abest, ut a peritis locorum accepi, milliaria circiter octoginta. At cum milliare Romanum recens aliquanto brevius sit antiquo; milliaria enim recentia 80. conficient antiqua *64*. circiter: quæ divisa per dies tres dant milliaria VIGINTI ET UNUM in singulos dies itineris militaris, de quo loqui Polybium non est dubitandum.

Annibal transgressus Alpes cum Italiæ universæ immineret, atque ad eum compescendum Scipionis Consulis copiæ satis esse non viderentur, Sempronius alter Consul jussu Senatus e Sicilia Ariminum profectus, inde facto ad Trebiam itinere Collegæ conjungitur. *Hic exercitum*, inquit Polybius lib. III. pag. 268. *longo labore itineris fessum*, *ut qui e Lilybæo* QUADRAGINTA *continuis* DIEBUS *pedestri itinere*

Arimi-

Ariminum pervenerat, *reficit*. In Antonini Itinerario a Lilybæo ad trajectum Siciliæ, seu ad Columnam, atque inde Ariminum numerantur M. P. 991. Summa hæc per quadraginta dispertita reddit milliaria QUINQUE ET VIGINTI, quæ in singulos dies exercitus Sempronii peregit. Ne quid dissimulem, Livius lib. XXI. cap. 51. rem aliter narrat, & Sempronium non pedestri, sed maritimo itinere exercitum è Sicilia misisse Ariminum literis tradit: quo nostra distantiæ & temporis putatio concideret. Mira quidem hæc est dissensio: & num Polybio, an Livio potior fides sit habenda non liquet. Certe Polybius multo vicinior fuit rei gestæ.

At demus eum falsum in narratione; falsus tamen esse nequit in æstimatione itineris. Ille enim qui rei militaris scientissimus fuit, & sæpius in acie versatus est, nequaquam scripsisset exercitum Sempronii quadraginta diebus a Lilybæo Ariminum pedestri itinere pervenisse, nisi ex militari consuetudine hujusmodi iter intra illud temporis spatium perfici potuisset. Ergo credidit Polybius, potuisse Romanum exercitum milliaria XXV. in singulos dies explere, quod Vignolius non credit. Uter eorum magis sit probandus, dijudicent docti.

Alia itinera militaria persequamur. Scipio, uti refert Livius lib. XXVIII. cap. 19. cum ad novam Carthaginem in Hispania esset, L. Martium cum tertia parte Copiarum ad Castulonem oppugnandum mittit: *ipse cum cetero exercitu* QUINTIS *ferme ad Illiturgim* CASTRIS *pervenit*. Non convenit inter Geographos de situ hujus Civitatis: quidam *Lietor*, alii *Andujar*, alii *Ivisam* putant. Utra ex his fuerit Illiturgis, certe ad Bætim fluvium posita erat. Carthagine nova, unde Scipio profectus est, ad Bætim, qua ex parte illi vicinior est, in mappis Geographicis accuratioribus milliaria circiter centum numerantur, quorum 60. uni gradui Circuli terræ maximi respondent. In uno gradu contineri milliaria Romana antiqua 74. collegit insignis Mathematicus Jo: Dominicus Cassinus, ex dimensionibus atque observationibus a se factis, & collatis cum distantiis urbium quarun-

dam ex Itinerario Antonini, ut videre licet in Hiſtoria Academiæ regiæ Scientiarum Pariſienſis ad annum 1702. pag. 105. editionis Amſtelædamenſis, & in Commentariis ejusdem anni pag. 20. Quo deceptum conſtat Ricciolium, qui lib. v. Geographiæ Ref. cap. 34. & 36. uni gradui circuli terræ maximi milliaria antiqua Romana 81. tribuit. Ergo Carthagine ad Bætim ſunt millia hujusmodi antiqua 124. quæ *quinis caſtris*, ſeu diebus quinque exercitus Scipionis confecit, ſcilicet milliaria QUINQUE ET VIGINTI in ſingulos dies.

Idem Scipio, ex eodem Livii libro XXVIII. cap. 33. iterum Carthagine profectus contra Mandonium, & Indibilim, DECIMIS CASTRIS *pervenit ad Iberum flumen*. In mappis Carthagine ad Iberum ubi vicinior eſt, ducenta circiter milliaria colliguntur, ſeu antiqua Romana ducenta & quinquaginta: quæ per decem diſtributa, fiunt in ſingulos dies millia QUINQUE ET VIGINTI. In Itinerario Antonini Carthagine Dertoſam, quæ Ibero adjacet, computantur M. P. 287. ex quibus emergunt fere millia NOVEM ET VIGINTI diurni itineris. Utram velis ex his duabus menſuram amplecti poteris. Nolim opponat aliquis aliam Scipionis expeditionem, in qua, ut narrat Livius lib. eod. c. 16. a Bætica, qua parte Gades reſpicit, *ſeptuageſimis Caſtris* Tarraconem rediit. Nam Scipio non recto itinere contendit, ſed huc illuc deflexit, *cauſſis regulorum*, *civitatumque cognoſcendis*: quare nil mirum in ea profectione ſeptuaginta itineris poſuiſſe dies.

Rurſus idem Hiſtoricus lib. 45. cap. 19., *Paullus*, inquit, *tranſgreſſus Strymonem mille paſſuum ab Amphipoli Caſtra poſuit: inde profectus* QUINTO DIE *Pellam pervenit*. Inter has urbes computantur in Itinerario Antonini millia paſſuum XCIV. Paullus ergo cum toto exercitu XIX. milliaria ſingulis diebus peregit.

Non unum exemplum miræ celeritatis in Cæſare occurrit; quædam etiam juſti itineris, ſed ob locorum incertum ſitum minus idonea. Unum eſt tamen lib. VII. de Bello

Gall.

Gall. cap. *6.* ex quo de aliis judicare liceat. Cum venisset Cæsar Vellaunodunum, inde *biduo* profectus est Genabum Carnutum, & castra ante opidum posuit. Illud hodie est *Château Landon*, hoc *Orleans:* quæ milliaribus 50., ad mensuram antiquorum compositis, inter se dissident. Ergo Cæsar uno justi itineris die QUINQUE ET VIGINTI millia passuum emensus est. At vir Cl: ex Cæsare ipso justum iter intra octo milliaria contrahendum esse contendit: quæ ejus opinio cum ex hoc solo testimonio satis convicta sit, eam tamen latius suo loco expendam.

Pergamus ad alios. Antonius Primus, Flavianarum partium dux, apud Tacitum lib. 3. hist. cap. 15., cum Moesicis & Pannonicis legionibus Italiam ingressus, audita discordia & seditione Vitellianorum, *universo cum exercitu* SECUNDIS *a Verona* CASTRIS *Bedriacum venit*. Esse hoc justum iter modus hic usitatus loquendi ostendit, ut ante monuimus: nec ulla apparet in Historico celeritatis mentio. At Verona a Bedriaco, qui nunc pagus est vulgo *Canneto* ad Oleum fluvium, quadraginta milliarium intervallo abest; ut ex mappis Chorographicis a peritis earum regionum accuratissime descriptis accepi: quibus decem aliis adjunctis, fiunt milliaria antiqua QUINQUE ET VIGINTI pro unoquoque itineris die.

Postero die Antonius cum parte copiarum progressus ad quartum a Cremona lapidem, profligat Arrium Varum Vitellii ducem, & cum inumbrante vespera universum Flaviani exercitus robur advenisset, cum Vitelliano exercitu, qui ab Hostilia *eo ipso die* TRIGINTA *millia passuum emensus* Cremonam profectus erat, tertia ferme noctis hora prælium tota nocte varium, anceps, atrox committitur: in quo tandem Flaviani victores die insequente urbem diripiunt atque incendunt. Ergo exercitus Vitellianorum, quamquam, ut fatear, caussa aliqua festinandi subsit, TRIGINTA millia passuum uno die absolvit.

Dies prælii hujus Cremonensis inquirendus est, quod etiam usui esse debeat, cum de expeditione Mutiani prope finem

capi-

capitis insequentis sermo erit. *Neutro inclinaverat fortuna*, inquit Historicus cap. 23., *donec adulta nocte Luna surgens ostenderet acies, falleretque*. Prælium cæperat *hora noctis tertia;* post quam horam, & antequam luna surgeret, varii pugnæ casus recitantur. Exorta itaque luna est circa mediam noctem; nam *adulta* nox de media nocte dicitur, sicut adulta hiems, adulta æstas, quæ inter primam & extremam media est; ut notavit Salmasius in Exercitat. Plinianis ad Solinum pag. 719. Luna media nocte exoritur, cum in ultima syzygia, seu in ultimo quadrante versatur, videlicet septimo post plenilunium die. Non enim omnino senescens erat; quia *umbras equorum virorumque* protendebat, ac Vitelliani *adverso lumine* collucebant. Itaque nox erat diei septimæ post Plenilunium. Cujusnam mensis fuerit hoc Plenilunium, ita colligo. Narrat Historicus cap. 37. audita Romæ defectione Alieni Cæcinnæ, Rossium Regulum pridie Kal. Novembres accepisse unum Consulatus diem, qui Cæcinnæ supererat. Defectio Cæcinnæ paucis diebus ante pugnam Cremonensem accidit, atque ipso Plenilunii die, ut mox ostendam. Quare cum nuncius proditionis allatus fuerit Romam labente Octobri, cujus die 31. Rossius ridiculum unius diei Consulatum occupavit, Plenilunium quod antecessit prælium Cremonense, ejusdem mensis Octobris fuit. Porro Plenilunium Octobris anno Epochæ vulgaris 69., quo hæc gesta sunt, commissum fuit tribus circiter horis ante mediam noctem diei XVIII., uti ex calculo infra patebit: a quo die, seu rectius a die postero XIX. numeratis septem diebus pugnatum est apud Cremonam nocte, quæ subsequuta fuit diem quintum & vicesimum Octobris.

Nunc ostendam, quod indicavi, defectionem Alieni Cæcinnæ accidisse sub ipsum Plenilunium, quod etiam fuit Eclipticum. Refert Dio apud Xiphilinum pag. 737. editionis Hannovianæ, Alienum persuasisse Vitellianis, ut in partes Vespasiani transirent: qui primum delent Vitellii imagines, mox facti pænitentes rursum Vitellium Imperatorem vocant, atque Alienum vinculis constringunt, *cumque jam esset*, sub-

dit

dit Historicus, *ingens tumultus in exercitu Vitellii, tunc Lunæ defectio eum longe majorem fecit; non tantum quod obscurata est, sed quod etiam sanguinolenta atraque esset, aliosque horribiles colores emittere visa est.* Auctor notarum in Tacitum ad usum Delphini lib. 3. cap. 23. arguit Dionem, quod hanc Eclipsim referat ad noctem illam, qua pugna Cremonensis facta est, *refragantibus* inquit, *quotquot sunt historicis Latinis.* Sed perperam ille hoc imponit Dioni: qui perspicue defectum Lunæ cum tempore seditionis Cæcinnianæ, non vero prælii Cremonensis conjungit, ut ex allatis verbis constat. Verum est tamen Xiphilinum in excerpendo Dione aliquantum peccasse; nam utrumque factum ita sub eadem narratione comprehendit, ut unum idemque esse videatur, vel uno eodemque tempore gestum: quæ res Auctori illi fucum fecit. At poterat etiam animadvertere hæc narrationis ejusdem prælii verba, quæ Dionem, seu Xiphilinum ab omni vindicant culpa. *Videre*, inquit, *licebat quoties Luna luceret, nam interdum occultabatur nubibus, pugnare illos, nonnunquam stare &c.* Non ergo ex Dione Luna tunc patiebatur defectum; si modo nubibus obducta, modo splendescens erat.

Ut porro suis hæc constent momentis, ex Ricciolii tabulis Astronomicis instituto calculo, comperi Eclipsim illam sub hisce temporum characteribus concludi. Anno Chr. LXIX. die 18. Octobris hor. 7. 33′. 35″. post merid. initium fuit eclipsis, finis hor. 11. 2′. 55″. medium hor. 9. 18′. 15″. seu tribus circiter horis ante medinoctium; quo temporis momento Sol versabatur in gr. 23. 57′. 11″. Libræ, Luna Arietis. Tota duratio complexa est horas 3. 29′. 20″. cum mora in tenebris per tres ferme horæ quadrantes, scilicet min. 44′.

Antequam ab exercitu Flaviano discedam, ex ejus post Cremonensem cladem profectione ad urbem Romæ, duorum dierum itineris quantitas est perscrutanda. *Digressus Narnia*, inquit Tacitus lib. eodem III. cap. 78., *Vespasiani exercitus, festos Saturni dies Ocriculi per otium agitabat.* Saturnalia in vetere Kalendario notantur die decimo septimo Decem-


cembris cum duobus insequentibus. Inde exercitus per Flaminiam viam profectus, cap. 79., *ad Saxa rubra* pervenit, quod accidit nocte diei XIX. ut ostendi in prima Dissertatione cap. IV. pag. 50. At debuit saltem primum diem Saturnaliorum celebrasse Ocriculi: quare duobus diebus, nempe XVIII. & XIX. iter ad Saxa rubra perfecit. Roma Ocriculum in Itinerario Antonini fiunt millia passuum XLIX. quibus si demas novem, quantum Saxa rubra distant ab Urbe, ut Victor de Cæsaribus in Maxentio testatur, exercitus Flavianus duobus diebus & quidem hibernis, atque omnium brevissimis, millia passuum XL. absolvit. Neque illum maturasse iter quis suspicetur; quin contra tum milites, tum Antonius Primus eorum dux, moras trahebant ob eas caussas quas ibi memorat Historicus: & non ante festinatum est, quam *obsessi Capitolii fama*, quæ itinere jam peracto, dum essent ad Saxa rubra, audita est, *cunctos simul exciret*. Justa igitur hæc fuit & legitima diurni itineris dimensio.

Anno insequente 70. Titus Vespasiani filius expeditionem Judaicam ab Alexandria profectus suscepit: ex qua certa depromitur ac manifesta diurni militum itineris ratio. Josephus lib. IV. aliis V. in fine eam accurate describit: cujus verba, quamvis longiora sint, operæ est pretium referre: *Titus*, inquit, *terreno itinere Nicopolim usque progressus ab Alexandria civitate* XX. *stadiorum intervallo distantem, inde militem longis navibus imponit: Niloque flumine post Mendesium tractum Thmuin usque vehitur: hinc autem egressus in terram apud Tanim civitatem divertit, unde secunda ei mansio fuit civitas Heraclea, & Pelusium tertia. Hic autem milite per biduum recreato, Pelusii fines transiit, unamque mansionem profectus per solitudines ad Casii Jovis Templum castra ponit: posteroque die apud Ostracinem, quæ mansio aquæ inops erat. Hinc apud Rhinocoluram requiescit, & inde progressus in quartam mansionem Raphiam venit, quæ prima occurrit Syriæ civitas. Gaza vero quintæ mansionis castra suscepit, & postea in Ascalonem, atque hinc Jamniam, deinde Joppem, & ex Joppe Cæsaream pervenit.*

Sunt

Sunt XIII. Mansiones: quas ut per intervalla metiri possemus, commodum opitulatur Antoninus, in cujus Itinerario urbes eædem ac Mansiones, uti extant apud Josephum, ordine tamen inverso, nam Itinerarium Antiochia Alexandriam procedit, ad amussim numerantur. Per singulas ergo Mansiones excurram, quas Josephus memorat, adnotatis ubique ex Itinerario earumdem distantiis. Itaque ab *Thmui*, ubi terrestre iter cæptum est, prima Titi mansio fuit apud *Tanim* civitatem, M. P. XXII. secunda *Heracleam* XXII. & *Pelusium* tertia XXII. Hinc Titus, una mansione *per solitudines* habita, ad Casium templum castra posuit. Mansio hæc inter solitudines, ab Josepho non appellata, in Itinerario *Pentaschoene* dicitur, nomine a re ipsa accepto. Nam cum inter Pelusium & Casium solitudines essent, mansio intermedia ob distantiam utrimque xx. milliarium, Pentaschoenon vocata est, scilicet *quinque Schoenorum*. Ita alibi in eodem Itinerario loca obscura ab intervallo nomen accipere observamus, ut a Narbone *ad Vigesimum*, ab Aquileja *ad Tricesimum* qui locus appellationem hanc adhuc retinet. *Schoenus* autem apud Ægyptios mensura erat, a *fune* qua itinerum spatia putabantur, milliaria quatuor complectens. Ergo apud Itinerarium Pelusio *Pentaschoenon* xx. milliaria notantur; hinc ad templum Jovis *Casii* xx. alia. Postero die, prosequitur Josephus, ad *Ostracinem* pervenit, M. P. XXVI. Plinius lib. V. cap. 12. scribit Ostracinem distare a Pelusio LXV. millibus passuum: qui numerus, uno excepto milliari, plane cum Itinerario congruit. Inde Titus apud *Rhinocoluram* mansit M. P. XXIV. hinc *Raphiam* venit, XXII. postea *Gazam*, XXII. *Ascalonem* XVI. & *Jamniam* XX. A Jamnia *Joppem*, hinc *Cæsaream* profectus est. Auctor Itinerarii viam aliam per mediterranea persequitur: nam a Jamnia per Diospolim, M. P. XII. & Beteron XXII., Cæsaream XVIII. contendit. Sunt M. P. LII. Ergo Titus a Jamnia Joppem, & Cæsaream duabus mansionibus LII. milliaria confecit: nisi pauca milliaria ob flexum in mediterranea velimus detrahere.

Hoc ſane exemplo nullum eſſe poteſt illuſtrius ac luculentius ad Romanorum exercituum juſtum ac legitimum unius diei iter pernoſcendum. In quo videat vir Clariſs: nullum eſſe diem præter unum, qui non VIGINTI millia paſſuum vel exæquet, vel excedat. Verum ut hæc atque alia ante relata itinera ſimul animo atque oculis comprehendi poſſint, ea deſcripta damus in ſubjecta tabella; in cujus columna prima ponuntur Civitates & loca, unde iter ſuſceptum, & ad quæ fuit terminatum; in ſecunda numerus Caſtrorum & Manſionum, ſeu dierum ejus itineris; in tertia numerus milliarium toto itinere peractus; in quarta demum ex eo numero deducta milliaria, quæ unius diei itineri conveniunt.



TA-

TABULA

ITINERUM MILITARIUM ROMANORUM.

UNIUS DIEI Iter ex Livio M. P. XXV.

Urbes & Loca.	Caſtra ſeu Itinera diurna.	M. P. totius itineris.	M. P. itineris. unius diei.
Cluſio Romam	III.		
A Lilybæo Ariminum	XL.	990	XXV.
Carthagine Illiturgin	V.	124	XXV.
Ad Iberum	X.	250	XXV.
Amphipoli Pellam	V.	94	XIX.
Vellaunoduno Genabum	II.	50	XXV.
Verona Bedriacum	II.	50	XXV.
Oſtilia Cremonam	I.	30	XXX.
Ocriculo ad Saxa rubra	II.	40	XX.
Thmui in Ægypto Tanim	I.		XXII.
Heraclea	I.	22	XXII.
Peluſium	I.	22	XXII.
Pentaſchoenon	I.	20	XX.
Caſium	I.	20	XX.
Oſtracinem	I.	26	XXVI.
Rhinocolouram	I.	24	XXIV.
Raphiam	I.	22	XXII.
Gazam	I.	22	XXII.
Aſcalonem	I.	16	XVI.
Jamniam	I.	20	XX.
Joppem	I.	22	XXII.
Cæſaream	I.	22	XXII.

Sunt Caſtra, & Manſiones, ſeu diurna itinera LXXXIII. M. P. 1886.



CAPUT II.

Ex historia Græca confirmatur justa diurni militaris itineris mensura. Alexandri Magni fuit XX. *milliaria. Et quot quum festinandum ei erat. Ejus profectio Babylone Susas non pertinet ad ejusdem celeritatem; sed fuit justum iter. Apud Xenophontem plurima exempla habentur in expeditionibus Cyri. An possint comparari cum itinere Elagabali. Duæ Tabulæ exhibentur itinerum exercitus Græcorum. Allata Romanorum, Græcorum, & Alexandri diurna itinera sunt numero* 405., *quæ præter octo exæquant omnia, vel excedunt* XX. *M. P. Bina Cæsaris exempla a Vignolio opposita expenduntur. Perperam ex his deducit diurna itinera militaria non ultra* OCTO *milliaria producta fuisse.* Duplicare *quid significet. Alterum Cæsaris exemplum, item & locum Vegetii ab se adducta non est assequutus. Explicantur; Et hinc perperam conferre Elagabali in Urbem adventum in Novembrem mensem ostenditur. Item exemplum Tiridatis alienissimum esse ad militaria itinera, & ipsius Elagabali definiendum, probatur. Iter Mutiani Antiochia Romam expenditur. Ostenditur, nullum esse magis idoneum quod cum Elagabali itinere possit comparari ex allatis exemplis. Concluditur* XX. *imo* V. *&* XX. *M. P. exercitus antiquorum in singulos dies justo itinere peregisse. Item Elagabalum intra tres circiter menses Nicomedia Romam potuisse cum exercitu venire. Adventum ejus in Urbem conferendum esse in Julium mensem. Et ejusdem mortem in mensem Martium ann.* 222. *incidisse.*

VERUM in his non conquiescimus. Nam lustratis Romanorum Castris, Græcorum quoque exercitus sunt explorandi. Horum diurna itinera ab Arriano, Herodoto, ac Xenophonte, temporum inter eos posthabita ratione, potissimum repetam. Arrianus initio lib. III. refert, Alexandrum

drum in Ægyptum contendentem *ſeptimo poſtquam Gaza movit die Peluſium* perveniſſe. In itinerario Antonini, ut capite ſuperiore dictum eſt, Gaza Peluſium collecti numeri conficiunt M. P. CXXXIV. quæ per ſeptem partita reddunt VIGINTI ferme milliaria in ſingulos dies. Hoc veluti ſpecimen eſſe poteſt aliorum Alexandri itinerum, cum militari gradu, & ad juſtum diei dimenſum proficiſceretur. Nam ſi feſtinandum illi fuit, longe majore itineris modo uſus eſt. Scribit idem Arrianus lib. III. pag. 211. editionis G. L. Amſtelædamenſis 1668. nocte una & quidem breviſſima Menſis Junii, ut pag. 213. notatum reperitur confeciſſe ſtadia quadringenta, ſeu millia paſſuum quinquaginta putatis octo ſtadiis in ſingula Milliaria. Item lib. eodem pag. 222. ſtadia ſexcenta biduo emenſus eſt, ſeu M. P. 75. & lib. IV. pag. 251. tridui ſpatio ſtadia mille, & quingenta M. P. 188. At Cl. Vignolius, cum de expeditionibus Alexandri maxima celeritate confectis pag. 8. & 9. agit, prætermiſſis exemplis hiſce, quæ obvia erant in Arriano, ſed rebus ſuis non proderant, unum aliud ex eodem Hiſtorico lib. 3. exponit, quod quidem nihil ad celeritatem pertinet. Alexander, inquit, dierum viginti ſpatio Babylone Suſas pervenit. Suſæ autem cum milliariis circiter quadringentis a Babylone abſint, hæc per viginti diviſa, vicena ſingulis diebus contingent. Inde ex Diodoro Siculo lib. 17. & Curtio lib. 5. cap. 5. & 8. celeritatem Alexandri in expeditionibus ſuis exagerat: qua non minorem fuiſſe ait eam, qua Suſas pervenit, confectis ſcilicet in dies ſingulos viginti milliaribus. Qui *non minorem?* Verum-ne hoc ſit, dicant qui putare ſciunt, quanto minus ſit iter viginti milliarium ab itinere octo & triginta, quinquaginta, & ſexaginta milliarium. Nam Alexandrum tot perfeciſſe milliaria in ſingulos dies, cum celeriter profectus eſt, ex paullo ante allatis exemplis conſtat; atque ea hæc eſt celeritas, quam in Alexandro laudant auctores a Vignolio adducti; non vero Suſiana profectio, quæ ad juſtum diurni viginti milliarium itineris modum, non ſecus ac iter in Ægyptum, quod nuper deſcripſimus peracta fuit. Mirum

vero

vero illud eſt, quod ſtatim ille ſubdit, celeritatis Alexandri in profectione Suſiana *cauſsam* fuiſſe *ingentes ejus regiæ ditiſſimæque urbis opes*, *a quibus invitabatur*. Siquidem ipſis in verbis Arriani, quæ vir doctus recitat, liquido apparet, nulla opus fuiſſe Alexandro feſtinatione ad occupandas Suſianas divitias; propterea quod eo in itinere comperiit ex literis Philoxeni, quem ſtatim ab Arbellenſe prælio Suſas miſerat, *Suſios Urbem tradidiſse omnemque pecuniam Alexandro* SALVAM ESSE. Præterea ſi vir idem Clariſſimus, qui verba Diodori lib. 17. ſtatim poſt hæc affert ad oſtendendam vim magnam auri & argenti quam in Suſianis theſauris repererat Alexander, eundem Hiſtoricum paucis ante lineis conſuluiſſet, tantum a vero abeſſe intellexiſſet, ut Alexander properato itinere contenderit Suſas, ut imo *ſextis caſtris* poſtquam Babylone digreſſus eſt, in regione Sitacene PLUSCULOS DIES *moram traxerit*, *quo miles a labore itineris reficeretur*, *ſimul ut militarium ordinum rationem diligentem iniret*, *adminiſtrationesque ducum*, *&* *præfectorum ampliores faceret*. Hæc ipſa narrans Curtius lib. v. cap. 6. ait Alexandrum DIUTIUS ſubſtitiſſe in eadem regione, quam Satrapenem vocat, ac ne deſides otio dimitterent animos, certamine inſtituto præmia propoſuiſſe de virtute militari contendentibus, atque alia geſſiſſe, quæ apud ipſum legere licet. His igitur peractis Alexander reliquum itineris Suſas uſque perfecit. Si ergo in itinere Babylone Suſas longas adeo moras traxit, ubi ea tanta feſtinatio ad ejus Urbis opes occupandas? Tandem ſi nec properandi cauſſam ullam habuit Alexander, neque revera properavit; iter ejus viginti milliarium in ſingulos dies expeditionis Suſianæ non acceleratum ſed juſtum ac legitimum fuit.

Alterum diurni militum itineris teſtimonium Herodotus lib. v. ſuppeditat. Ariſtagoras Mileti tyrannus expeditionem in Perſidem ſuadebat Cleomeni Spartarum regi, ac manu tenens æream tabulam, in qua totius terræ ambitus continebatur, illi oſtendebat regiones per quas cum exercitu tranſiturus eſſet, atque iter Suſas uſque Perſarum regiam urbem

trium

trium mensium spatio absolvi posse pollicebatur. Herodotus rationem hujus itineris demonstraturus, primum per partes, & regiones viam totam metitur, deinde *peragendo*, inquit, *stadia* 150. seu milliaria VIGINTI *singulis diebus*, *erunt solidi nonaginta dies*. Planum est viginti hæc milliaria ad diurnum militum iter referri; nam Historicus de expeditione bellica, quam suadebat Aristagoras, loquitur.

Verum apud Xenophontem in libris de expeditione Cyri tot militarium itinerum exempla, atque adeo luculenta occurrunt; ut non tam auctoritate sua firmare sententiam nostram, quam multitudine veluti obruere videantur. Describit ille toto libro primo profectionem Cyri Sardis in Lydia usque ad loca proxima Babyloni, ubi cum fratre Artaxerse conflixit, atque in prælio extinctus est. Singulas ejus itineris mansiones enumerat Xenophon oculatus testis, & præcipuus inter Græcos duces, qui Cyro cum auxiliariis Copiis aderant, notatque accuratissime distantias inter unam & alteram mansionem, seu diurni itineris quantitatem. Octoginta peragratæ sunt mansiones, & bis mille sex minus millia passuum confecta. Habuit Cyrus sub signis centum millia barbarorum, & ex Græcis auxiliariis decem millia quadringenta Scutatorum, & Peltatorum millia duo. Cum hoc ergo ingenti exercitu profectus Sardis, inde Cyrus per Lydiam *tertiis Castris* (ita habet interpres, cum in textu Græco ubique sint *Stathmi*, seu *Mansiones*) *parasangas viginti duas* progressus ad Mæandrum amnem pervenit. *Parasanga* mensura est itineris Persica, triginta stadiis, seu milliaribus quatuor æstimata: nam secundum veriorem putationem stadia septem cum dimidio conficiunt unum milliare Romanum. Quamobrem Cyrus tribus diebus millia passuum octoginta octo peragravit, & in singulos dies NOVEM ET VIGINTI. Hinc per Phrygiam *primis castris parasangis octo confectis*, seu M. P. XXXII. ad Colossas venit: inde *tertiis castris octoginta millia passuum*, & unoquoque die SEPTEM ET VIGINTI permensus est. Postea *secundis castris* M. P. *quadraginta* ad Peltas processit, nimirum uno die VIGINTI millia confecit. Verum ne fusiore

ſiore narratione paginas impleam, tabulam totius itineris contractam dabo, in qua, quot milliaria in ſingulos dies exercitus Cyri ambulaverit uno adſpectu cognoſcere licebit. In prima columna, uti etiam capite antecedente notavi, Civitates & loca ſunt poſita: in ſecunda Manſionum numerus: in tertia paraſangæ in milliaria reſolutæ: & demum in quarta ex his deductus milliarium numerus, qui itineris quantitatem in ſingulos dies demonſtrat. Ante vero quam tabulam hanc exhibeam, longius aliud iter eſt expediendum.

Poſt cladem Babylonicam Græci auxiliares viam eandem per Aſiam relegere intutum arbitrati, difficillimum ac longiſſimum iter ingreſſi ſunt, & per Mediam & montes Armeniæ aſperrimos ad mare Euxinum, atque inde per Paphlagoniam, aliasque regiones in Græciam evaſere. Xenophon, qui expeditionis hujus dux fuit, a libro ſecundo ad ſeptimum poſtremum eam fuſe & diligenter enarrat, & loca, civitates, manſionesque, ad quas exercitus divertit, adnotatis identidem, ſed non ubique, diſtantiis, exponit. At in fine manſiones omnes, & ſummam totius itineris recolligit, ex qua, ut videbimus, quot milliaria confecta fuerint in ſingulos dies cognoſcitur. Interim exempla quædam diurni itineris ſubjicio. Libro altero, *a Pirgete*, inquit, *quartis caſtris*, ſeu manſionibus, *paraſangis viginti*, quæ M. P. LXXX. tribuunt, *confectis, ad Phiſcum amnem pervenere. Hinc ſenis caſtris* M. P. CXX. Et lib. IV. *per altas camporum nives caſtris ternis* M. P. LX. ſunt ubique VIGINTI milliaria diurni itineris. Inde *ſeptimis caſtris, confectis* IN DIES SINGULOS XXV. *millibus paſsuum, ad Phaſim pervenere*. Reliqua itinera, quæ cum milliarium numero ſignavit Xenophon, in tabula exponam. Demum in exitu poſtremi libri hæc ait: *Totius itineris ſpatium, quod aut progredientes aut regredientes confecerunt, fuere manſiones* CCXV. *paraſangæ* M. C. L. *Quo quidem in itinere annus, & menſes tres conſumti*. Ex paraſangis 1150. conſiunt milliaria 4600. quæ diviſa per numerum manſionum 215. reddunt milliaria UNUM ET VIGINTI in ſingulas manſiones, ſeu itineris dies. In

hoc

hoc Græcorum exercitu initio expeditionis decem millia hominum numerabantur: ad Cerasuntem, quæ ad mare Græca urbs est in Colchorum finibus, censa sunt armatorum octo millia & sexcenta. Non arma solum ferebant, verumetiam impedimenta, ut passim apparet: & feminæ quoque exercitum comitabantur. Per montes asperrimos, & nive duobus passibus quandoque alta obsitos, fuit illis progrediendum, & cum hostibus sæpe dimicandum, sæpe rerum omnium penuria laborandum. Quod si inter tot difficultates & incommoda potuit exercitus iste viginti & plura aliquando in dies milliaria conficere; mirum profecto accidere nequit, exercitum Elagabali, aliosque, qui commeatibus instructi per vias regias & militares incedebant, eandem diurni itineris potuisse persolvere quantitatem.



TABULA
ITINERIS EXERCITUS CYRI MINORIS
SARDIS in Lydia Babylonem.

Urbes & loca	Numerus Mansionum	Distantia Mansionum M. P.	Mansio una seu Iter diurnum M. P.
Sardis ad Meandrum fluvium	III.	88	XXIX.
Ad Colossas	I.	32	XXXII.
Cælenas	III.	80	XXVII.
Peltas	II.	40	XX.
Ceramuntem	II.	49	XXIV.
Ad Caystri Campos	III.	120	XXXX.
Tyriæum	II.	40	XX.
Iconium	III.	90	XXVIII.
Lycaoniam	V.	92	XIX.
Danam	IV.	100	XXV.
Tarsum	III.	100	XXXIII.
Ad flumen Pharon	II.	40	XX.
Ad Pyramum	I.	20	XX.
Issum	II.	60	XXX.
Ad portas Ciliciæ	I.	25	XXV.
Myriandrum	I.	20	XX.
Ad Chalon fluvium	IV.	80	XX.
Ad Dardacis fontes	V.	120	XXIV.
Ad Euphratem amnem	III.	60	XX.
Ad Araxem amnem	IX.	200	XXII.
Per deserta loca	V.	140	XXVIII.
Ad Arabiæ portas	XIII.	360	XXVIII.
Babylonem	III.	48	XVI.

Sunt Stathmi seu Mansiones LXXX. Millia Passuum MDCCCCVIC.

TA-

TABULA ALTERA

Quorundam itinerum exercitus Græcorum.

A Pirgete flumine	IV.	80	XX.
Per Mediæ solitudines	VI.	120	XX.
Per Solitudines	V.	80	XVI.
A Lariſſa	I.	24	XXIV.
A Meſpila	I.	16	XVI.
Per Armeniæ campos	I.	20	XX.
Per Campos	III.	60	XX.
Per altas nives ad fontes Euphratis	III.	60	XX.
Ad Phaſim fluvium	VII.	175	XXV.
Ad Phaſim per montium vertices	II.	40	XX.
In Chalybas	VII.	200	XXX.
Per Scytinorum campos	IV.	80	XX.
Gymnias urbem	IV.	80	XX.
Trapæzuntem	II.	28	XIV.

Totum iter Manſiones CCXV.
M. P. IVMDC.
In ſingulos dies M. P. XXI.

Ut tandem, quæ dicta ſunt hactenus, recolligam, ductis in ſummam Caſtris, ſeu Manſionibus Romanorum 83. Cyri 80. Græcorum 215. & Alexandri 7. additis etiam viginti diebus profectionis Suſianæ, fiunt diurna itinera 405. quæ præter octo, exæquant omnia, vel excedunt viginti millia paſſuum. Satisne hæc, ut firmatum undequaque ſit, & probatum, *fieri non modo potuiſſe, ſed factum quoque eſſe*, ut exercitus antiquorum VIGINTI, & QUINQUE ET VIGINTI milliaria in ſingulos dies juſti ac legitimi itineris peregerint?

D 2 Op-

Opponat nunc Cl. Vignolius unum & alterum Cæsaris testimonium, quo certum esse putavit, itinera militaria antiquorum non ultra OCTO in dies singulos milliaria producta fuisse. Anne bina hæc cum quadringentis itinerum exemplis conferri poterunt? Verum loca illa Cæsaris expendamus. *Confecto*, ait lib. III. de bello Civili cap. 23. *justo itinere ejus diei quod proposuerat Cæsar, trasductoque exercitu flumen Genusum, veteribus suis in castris contra Asparagium consedit, militesque omnes intra vallum continuit: equitatum per caussam pabulandi emissum confestim decumana porta in castra se recipere jussit*. Paucis vero interjectis, *Meridiano fere tempore*, subdit, *signo profectionis dato, exercitum educit*, DUPLICATOQUE *ejus diei itinere* VIII. *millibus passuum ex eo loco procedit*. Ex his infert vir Clarissimus, si postquam Cæsar iter mane confecerat quod *justum* appellat, circa meridiem exercitum iterum movit, & millibus passuum octo progressus, ejus diei iter se duplicasse ait, necessario sequitur, quod ante ~~meridiem justum iter fecerat, millia~~ itidem VIII. non XX. fuisse.

Verum ego id necessario sequi non video. Nam neque Cæsar iter meridianum *justum* appellat, nec illud profecto justum fuit. Si enim justum fuisset, non opus erat, ut Cæsar indicaret expressis verbis passuum millibus octo constitisse. Itineri matutino milliarium numerum non adjecit, quia cum justum esset, omnes noverant, quot milliaria complecteretur. Adjecit autem numerum itineri meridiano, quia cum justum non esset, nemo scire poterat, quot milliaria contineret, nisi id explicate docuisset. Itaque Cæsar non alterum tantum iter confecit meridiano tempore, ac mane confecerat, sed *duplicavit iter ejus diei*, hoc est, iter matutinum *auxit*, illique *addidit* octo millia passuum. Nam *duplicare* rem aliquam non solum eam *geminare* significat, & *duplum* ejus facere, sed etiam *augere*, illique rem aliam *addere*, quamvis non ejusdem numeri aut quantitatis. Servius ad versum Virgilii Ecl. 2. *Et Sol decedens crescentes* DUPLICAT *umbras*, variavit, inquit, *nam supra dixerat: majoresque ca-*

dunt

dunt altis de montibus umbræ. DUPLICAT *autem* AUGET. Salluſtius: *Marius victus duplicaverat bellum*. Hactenus Servius. Quam phraſim Salluſtii imitatus eſt Tacitus hiſt. IV. cap. 54. *Audita*, inquit, *interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii* DUPLICAVERAT *bellum*. Non duplex bellum fecerat; ſed bellum renovaverat, vel auxerat. Nam Civilis, ſubdit ſtatim Hiſtoricus, *poſita omni diſsimulatione in populum Romanum ruere cæpit*.

Lucretius lib. VI. deſcribens cauſſas impetus fulminis hanc inter alias proponit:

Deinde quod omnino natura pondera deorſum
Omnia nituntur: cum plaga ſit addita vero
Mobilitas DUPLICATUR, *& impetus ille graveſcit*.

An Poeta vim & impetum fulminis ante plagam, ſeu ictum ad pondus dimenſus eſt, ut ſciret altero tanto prorſus impetu poſt ictum fieri? Ergo duplicatur mobilitas, ſcilicet creſcit & augetur, uti confeſtim explicat: *& impetus ille graveſcit*.

Livius lib. I. cap. 43. loquens de Comitiis centuriatis tempore Servii Tullii: *Nec mirari oportet*, inquit, *hunc ordinem, qui nunc eſt, poſt expletas quinque & triginta Tribus*, DUPLICATO *earum numero*, centuriis juniorum ſeniorumque ad inſtitutam a Servio Tullio ſummam non convenire. Sigonius de jure Provinciarum lib. III. cap. 3. explicans hunc locum ait, Tribus inſtitutas a Servio fuiſſe numero XIX., cumque poſt aliæ atque aliæ additæ ſint, ita ut factæ ſint XXXV., vere dixiſſe Livium poſt expletas XXXV. Tribus numerum Tribuum eſſe *duplicatum*, cum a XIX. ad XXXV. pervenerint. Vides numerum duplicatum non eſſe prorſus alterum tantum, ſed additum & auctum. Quam verbi hujus notionem non animadvertens interpres Livii ad uſum Delphini, mirum in modum ſe torquet, ut hanc Tribuum multiplicationem ad æqualitatem perducat. Rurſus Livius lib. VII. cap. 7. ubi narrat Romanorum adverſus Hernicos bellum, *Dictatoris*, inquit, *deinde adventu novus veteri exercitus jungitur*,

gitur, *& copiæ* DUPLICANTUR. Non ego pacto pignore contendam, novum exercitum fuisse numero militum prorsus æqualem cum vetere. Sed paullo post Historicus ipse docet, non *aliud duplicare* copias esse quam *augere*. *Neque segnius*, ait, *& hostes bellum apparant*, *qui & parti ante decoris memores*, *neque ignari* AUCTARUM *virium hosti*, *suas quoque vires augent*. Eundem loquendi modum usurpat Tacitus, qui lib. V. hist. cap. 14., *sequutus est eodem*, inquit, *Cerialis*, DUPLICATIS *Copiis adventu secundæ*, *&* XVI, *&* XIX. *legionum*. Si quis mihi ostendat tres legiones jam tenuisse Cerialem, non negabo tres istas numerum parem fecisse. Sed cum de hoc non constet, nihil aliud apud Tacitum sunt *duplicatæ* copiæ quam *auctæ*: uti & antea lib. IV. cap. 36. dixerat: *& adventu Quintanorum*, *Quintadecimanorumque* AUCTÆ *legiones donativum exposcunt*.

Non moror Fulvium Ursinum, in cujus Adversariis hæc verba se reperisse testatur Vignolius: *Diurnum iter militum millia* VIII. Nam nemo ignorat, in Adversaria conjici plerumque etiam a viris doctis obvia quæque sine delectu: quæ postea cum usui esse debent, accuratiori examine expensa aliquando probantur, sæpius etiam rejiciuntur. Fortasse Ursinus in hunc ipsum locum Cæsaris inciderat, quem in Schedas suas transtulit memoriæ caussa, ad examen vocaturus, cum occasio postulasset. Ceterum nec unus auctor quamvis doctissimus totam antiquitatem subvertere potest; cum constet certissime apud veteres Romanos & Græcos multo plura quam octo milliaria diurno militum itineri tributa fuisse.

Alterum exemplum Cæsaris petitum est ex lib. VI. de bello Gall. cap. 3. *Dum hæc* inquit, *a Cæsare geruntur*, *Treviri magnis coactis peditatus equitatusque copiis*, *Labienum cum una legione*, *quæ in eorum finibus hiemaverat*, *adoriri parabant*. *Jamque ab eo non longius bidui via aberant*, *cum duas venisse legiones missu Cæsaris cognoscunt*. *Positis castris a millibus passuum* XV. *auxilia Germanorum expectare constituunt*. Putat vir eruditus, hunc locum, in quo Treveri posuere castra a Labieno passuum millibus quindecim, eun-

dem

dem esse illum, quem ante dixerat Cæsar distare ab eodem Labieno bidui via: ex quo inferre vult, bidui viam complecti milliaria quindecim. Sed res non ita se habet. Nam Treveri aberant quidem a Labieno bidui via cum cognoverunt venisse legiones: sed harum adventu intellecto ab eo loco progressi sunt, & castra posuere a Labieno millibus passuum quindecim. Docti judicent, quis nostrum rectius assequutus sit sensum Cæsaris. Interim duo hæc mihi persuaderi non patiar, Treviros nempe, barbaram gentem & militiæ laboribus assuetam non ultra septem milliaria cum dimidio explevisse in singulos dies; & Cæsarem, qui duces omnes celeritate expeditionum, & disciplina militari superavit, adeo pigrum fuisse & ignavum, ut cum illi diurno ac justo militum itineri, ut vidimus, viginti & amplius milliaria impenderint, ipse octo milliaria, & ne dimidium quidem ejus itineris conficere fuerit solitus. Quod certe vel uno illo exemplo, quod capite superiore retulimus, aperte revincitur, in quo ostensum est, Cæsarem biduo justi itineris quinquagena milliaria explevisse.

At vero vir Clarissimus, cum ad putandum iter Elagabali accedit, liberaliori manu duo insuper milliaria itineri diurno militum tribuit, & posse fieri, ait, ut exercitus, qui Elagabalum ad urbem deduxit, aliquam sui itineris partem *celeri gradu cursuque alacriori* peregerit, ac proinde non *octo*, sed passuum *millia decem* singulis suæ profectionis diebus ambulaverit, quot nimirum ter in mensem militibus armatis in suis sedibus degentibus ex veteri consuetudine, & Augusti, atque Hadriani constitutionibus fieri solita fuisse tradit Vegetius lib. 1. cap. 27. Vellem nobis etiam legenda exhibuisset verba ipsa Vegetii, quæ hujusmodi sunt: *Vetus*, inquit, *consuetudo permansit*, *& D. Augusti & Hadriani constitutionibus præcavetur*, *ut ter in mense tam equites quam pedites educantur ambulatum*.... DECEM *millia passuum armati instructique omnibus telis pedites militari gradu* IRE ET REDIRE *in castra jubebantur*. Decem ergo passuum millia ibant, totidemque redibant: fiunt *viginti*. Ita intelligen-

ligenda ſunt hæc verba Vegetii: atque ita intellexit Lipſius de Militia Romana lib. V. dial. 14. Hujus loquendi formæ exemplum habeo apud Hirtium de bello Africo cap. 25. *Cæſar*, inquit, *legiones duas cum equitatu mittit a caſtris ſuis millia paſsuum* DECEM, *atque inde magno numero frumenti onuſtos recepit in caſtra*. Certe totum iter viginti milliarium fuit, decem uſque ad locum frumentationis, decem alia *inde* ad caſtra. Vegetius igitur tantum abeſt, ut Vignolio opituletur, ut nobis omnino faveat, qui viginti milliaria diurno militum itineri dedimus, quot plane ſcriptor ille eorumdem exercitationi tribuit.

Attamen vir doctus ad hanc decem milliarium menſuram totum Elagabali iter componit. Nam milliaribus M. D. quot Nicomedia ad Urbem numerantur, per decem diviſis colligit dies centum & quinquaginta, qui menſes quinque plenos conficiunt. Addit dies alios quinquaginta quietis, propterea quod exercitus ſolitus fuerit *triduo* ambulare, *quarto die* requieſcere, ex S. Ambroſio in Pſalm. 118. octon. 5. Conſiunt menſes fere ſeptem. Quare, inquit, ſi Elagabalus iter ſuum per Illyricum ſuſcepit, ejus in Urbem adventus non in menſem Julium, uti ego putaveram, ſed potius in Novembrem conferri debet.

Quæ quamvis, ſubdit ille, ſatis firma & certa ſint, vel ſolius Cæſaris auctoritate, exemplo tamen ex Dione petito, quo magis idoneum occurrere vix poterat aliud, magis magiſque firmantur. Dio ſiquidem in vita Neronis lib. *63.* pag. 7*16*. Tiridatis regis Armeniorum Romam per Illyricum adventum deſcribens, iter illius ab Euphrate novem menſium fuiſſe narrat. Porro inito calculo Tiridates milliaria 2174. confeciſſe ſubjicit: quæ per decem diſtributa, additis menſibus fere duobus quietis, quæ quarto quoque die exercitui dari ſolet, ſumma erit menſium novem, & dierum aliquot, a Dione fere expreſſa. Ita vir doctus. Ego vero alieniſſimum hoc eſſe exemplum ad militarium itinerum, atque ipſius Elagabali definiendam menſuram plane exiſtimo. Nam Tiridatis profectio militaris non fuit, neque

cum

cum exercitu quem præscriptum itineris militaris modum & gradum observare oporteret; sed iter ejus, ait Dio, fuit ut in triumphis per omnes regiones ab Euphrate, magno famulorum comitatu, Parthorumque ac Romanorum, atque apparatu regio, eumque urbes & populi magnis lætisque clamoribus excipiebant, quæque necessaria erant, faciente sumptus populo Romano, omnia ei præstabantur. Habuit quoque secum non solum suos, sed etiam Vologesi, Pacori, & Monabazi regum liberos, atque itidem uxorem adeo delicatam & superbam, ut galeam auream pro integumento gereret, ne contra morem patriæ conspiceretur. Quid mirum ergo si Tiridates tanta cum turba imbelli ac molli, regia pompa & fastu inter delicias & luxum incedens longas adeo moras extraxerit, & tardiore gradu viam difficilem & longissimam peragraverit? Adde quod totam hiemem in itinere transegit: qua anni tempestate parum progressum fuisse, & plurimos dies identidem quievisse necesse est; ut erat potissimum cum regia femina, & pueris regiis, qui frigoris viæque inclementiam tolerare non poterant. Nam Tiridates Romæ erat æstivo tempore: illum enim excepit Nero in theatro extensis peripetasmatis *ad defendendos Solis ardores*, inquit Dio. Quamobrem retroductis novem mensibus, pars itineris in hiemem inciderat. Non est igitur Tiridatis iter conferendum cum itinere Elagabali, qui placidissima anni tempestate cum justo exercitu, ut non semel fatetur vir doctus, profectus est: quo cum exercitu debuit militari gradu incedere, habuitque præterea accelerandi caussas, ipso nimirum ad capessendum in Urbe Imperium anhelante, atque ejus avia *Mæsa festinante ad Romanam aulam*, ut ait Herodianus lib. v. cap. 5.

Verum si patiatur Vignolius me longiorem esse, dabo iter militare, quo sane verius ego dicam, nullum aliud est magis idoneum, quod cum Elagabali itinere comparari possit. Postquam Vespasianus Alexandriæ consalutatus est Imperator *Kalendis Julii* A. C. *69.*, Syria omnis, cui præerat Mutianus, *ante Idus Julias* in eodem sacramento fuit, ut narrat

Tacitus hist. II. cap. 79. & 81. Mutianus in Italiam adversus Vitellium iturus Antiochia cum parte copiarum Vespasiani, addita mox legione sexta, profectus est: quod non ante Augustum mensem fieri potuit. Per Moesiam transiens Dacos repressit, favente fortuna populi Romani, inquit idem historicus lib. III. cap. 46., quæ Mutianum *viresque Orientis* illuc tulit. Quæ adnotata sunt, ut appareat Mutianum cum exercitu omni apparatu bellico instructo expeditionem hanc suscepisse: additque Josephus de Bello Jud. lib. IV. cap. 13., *cum exercitu* Romam fuisse ingressum. Romam vero ingressus est *postero die* cædis Vitellii, ut memorat idem Josephus eodem loco, nimirum uno & vicesimo mensis Decembris; seu paullo postea ex Tacito lib. IV. cap. 4. nam Mutianus audita morte Vitellii literas misit ad Senatum, quæ materiam sermonibus præbuere, potuisse *paucos post dies* eadem loco sententiæ dici. Ergo tunc parum aberat ab Urbe. Demus advenisse post duodecim dies a nece Vitellii, nimirum initio Januarii. Ita Mutianus Antiochia Romam profectus est cum exercitu quinque mensium spatio. Antiochia Constantinopolim in Itinerario Antonini numerantur septingenta millia passuum. Adde M. D., minus sexaginta quatuor, quantum distat Byzantium Nicomedia, confiunt milliaria fere duo millia & ducenta. Hæc divisa per XX. relinquunt dies CX. quibus si addas dies XXXVI. quietis, paucosque alios, quos certe in reprimendis Dacis consumsit Mutianus, dies plus minus CL. seu menses quinque comperies. Rursus Mutianus cum Dacos, ut paullo ante dixi, compressit, *gnarus erat* Cremonensis victoriæ, inquit Tacitus eodem loco. Pugna Cremonensis contigit die 25. Octobris, quod ostensum est capite superiore. Cum vero diebus duodecim potuerit nuncius ejus pugnæ in Moesiam pervenisse, illum accepit Mutianus circa diem sextum Novembris. Irruptio Dacorum, qui utraque Danubii ripa potiebantur, in Moesia facta est, cujus primaria urbs Viminacium: & fortasse *castra legionum*, quæ exscindere parabant Daci, ut ait Tacitus, erant apud ipsum Viminacium, quæ urbs a Ptolemæo *Vimina-*

cium

cium legio vocatur, quod ibi legiones caſtra habebant. Porro Viminacium Nicomedia abeſt DCCXXIV. millia paſſuum in Itinerario: quæ ſubducta a M. D., remanent DCCLXXVI., quantum Viminacium ipſum Roma diſtat. Hæc diviſa per XX. dant dies XXXIX. Additis diebus XIII. quietis, uno ſcilicet poſt tres dies, fiunt dies LII. qui numerati a die VI. Novembris, quo die Mutianus erat in Moeſia, ducunt ad exitum Decembris menſis, ſeu initium Januarii, cum Mutianus Romam intravit.

Videat Cl. Vignolius, quam belle omnia hæc inter ſe conveniant. Iter Mutiani Antiochia Romam ex temporum notis apud Tacitum menſibus quinque abſolutum fuit. Menſes quoque eosdem obtinemus putato itinere ad rationem XX. milliarium in ſingulos dies. Hinc etiam recte a nobis iter Mutiani cum itinere Elagabali comparatum eſt. Nam ſi milliaria MMCC. Mutianus confecit menſibus quinque, potuit utique Elagabalus menſibus tribus MD. milliaria abſolvere. Ergo juſtus ac legitimus itineris militaris modus non minus quam XX. millibus paſſuum definiendus eſt. Quod ſi ex ejusdem docti viri ſententia intra X. millia paſſuum coerceretur; Mutianus non quinque tantummodo menſes, ſed plane decem in itinere Antiochia Romam exhauſiſſet, quod hiſtoricæ veritati omnino repugnat.

Huic igitur exemplo itineris Mutiani ſi tot alia, quæ in ſuperioribus allata ſunt, jungantur, alterum hoc colligemus verum eſſe, exercitus ſcilicet antiquorum viginti, ac quinque & viginti millia paſſuum in ſingulos dies, alterum hoc falſum eſse, non amplius quam octo vel decem milliaria peregiſse. Proinde rurſus verum eſt, Elagabalum intra tres circiter menſes, putatis XX. milliaribus in ſingulos dies, datoque ad quietem quarto quoque die, viam Nicomedia Romam, quæ mille quingentis milliaribus æſtimatur, potuiſse perficere; falſum autem eandem viam non potuiſse abſolvere niſi menſium ſeptem ſpatio. Hinc illud quoque certiſſimum ſequitur, ſi Elagabalus Nicomedia diſceſſit ineunte Aprili anni vulgaris 219., qua de re non ambigitur, *adven-*

tum ejus in Urbem conferendum esse in Julium mensem: quæ verba mea in limine operis vir Clarissimus sibi impugnanda præfixerat. Denique si Elagabalus advenit Romam initio mensis Julii ann. 219., ab hoc cardine numeratis mensibus octo supra annos duos, quos Eutropius, eodem docto viro adstipulante, exegisse in Imperio post adventum in Urbem testatur, mors ejus in mensem Martium ann. 222. incidit: quod erat demonstrandum.



CAPUT III.

Matrimonium Elagabali cum Cornelia Paulla recte fuit ab Auctore positum mense Novembri ann. Ch. 219. *Cur non possit referri ad finem Junii ann.* 220. *Nummos Elagabali cum Congiario secundo & epigraphe TR. P. II. COS. II. ad has Corneliæ nuptias pertinere probatur. Nummi Egyptii cum* L. Γ. anno tertio, & L. Δ. anno quarto *quomodo non repugnent. Argumenta Vignolii diluuntur. Verba Herodiani* μετ' ὀλίγον χρόνον, *male vertunt Politianus & Vignolius. Probatur ex ipso Herodiano, & ex ipso Vignolio. Tempus Matrimonii Corneliæ non recte definit. Herodianus ex Dione explicatur. Non constat* cur tam cito *Elagabalus illam dimiserit. Sed caussam prætexisse constat. Hoc fieri potuit etiam post octo vel novem menses.*

DIsserit in hoc cap. II. Cl. Vignolius de nuptiis Corneliæ Paullæ prioris Elagabali feminæ, deque Congiario secundo ejusdem Augusti, quod ego pag. 9. scripseram cum Vaillantio distributum fuisse ob easdem nuptias, in quibus ait Dio lib. 69. pag. 911. Elagabalum dedisse Congiarium amplissimum. Matrimonium cum Cornelia posueram mense Novembri æræ vulgaris 219. quod vir Clarissimus refert ad finem Junii 220. Si verum hoc esset, Elagabalus post annum solidum ab sui adventu in Urbem primas nuptias contraxisset; nam initio Julii anni antecedentis 219. Romam venit,

venit, uti in superioribus abunde probatum est. Annum vero integrum cælibem eum fuisse nemo credet, qui legerit apud eundem Dionem, Elagabalum celebrasse matrimonium cum Cornelia Paulla, *quo pater fieret*, sicut dicebat, CELERIUS. Hinc etiam non absurde mihi videor conjecisse cum Vaillantio, nummos Elagabali exprimentes Congiarium secundum cum Epigraphe: TR. P. II. COS. II. ad has cum Cornelia nuptias pertinere: quod vir Clarissimus negat. Primum Congiarium dedit Elagabalus in sui adventu in Urbem, *ut mos est Imperium suscipientibus*, ait Herodianus lib. V. cap. 5. Nullum aliud Congiarium memorant scriptores ante hoc, de quo agimus, propter nuptias cum Cornelia. Nihil ergo obstat, si dicamus hoc ipsum secundum illud esse, quod exhibent nummi: qui cum præferant Trib. Potestatem secundam, & Consulatum secundum, fuisse datum oportet ante exitum anni 219. quo tempore Elagabalum egisse Matrimonium cum Cornelia arbitramur.

Non enim repugnant, quos opponit vir doctus, nummi Ægyptii Corneliæ cum L. Γ. *anno tertio*, & L. Δ. *anno quarto*; quia potuit Elagabalus menses octo cum ea vixisse in matrimonio, nempe a Novembri an. 219. ad initium mensis Julii anni insequentis 220. ita ut Ægyptii nondum accepto nuncio repudii ineunte anno IV. Elagabali die XXIX. Augusti ejusdem anni 220. tunc percusserint nummos Corneliæ cum nota L. Δ. quod fusius exposui in prima Dissertatione At verum minime esset, inquit Vignolius, cum ea *paullo post* divortium fecisse, ut scribit Herodianus lib. V. cap. 14. *Duxit præterea uxorem illustrissimam Romanam feminam, quam Augustam appellavit cumque ea tamen* (μετ' ὀλίγον χρόνον) PAULLO POST *divortium* fecit: quæ dictio *paullo post* subdit ille, octo mensium spatio aptari nequit.

Verum præterquam quod minus recte Politianus, eumque sequutus Vignolius verba illa μετ' ὀλίγον χρόνον per hæc reddunt, *paullo post*, cum vertere debuissent, *post breve tempus*, vel *brevi tempore*, quæ videntur longioris temporis significationem habere; minime quoque verum est eadem verba

ὀλίγον

ὀλίγον χρόνον octo mensium spatio aptari non posse. Unum & alterum exemplum dabo. Idem Herodianus lib. III. cap. 7. *hunc finem vitæ*, inquit, *habuit Albinus* BREVI, πρὸς ὀλίγον, *sane lætatus funesto honore*, scilicet dignitate Cæsarea: nam paullo ante dixerat, Albinum Cæsaris honore atque auctoritate præditum fuisse. Albinus Cæsaris titulo ab Severo donatus est an. 293. ab eodemque prælio victus atque interfectus mense Februario an. 297. Ergo πρὸς ὀλίγον quatuor ferme annos complectitur. Quid non etiam octo menses? Alterum exemplum Vignolio ipsi debeo. Refert ille pag. 152. in excerptis Dionis a Valesio editis verba ea, quæ in vulgatis ipsius codicibus leguntur, Elagabalum scilicet exegisse in Imperio annos tres, menses novem, & dies quatuor, non reperiri; sed eorum loco hæc esse scripta, ὀλίγῳ χρόνῳ, *brevi tempore*. Ergo si totum tempus Imperii Elagabali, quod ad quatuor circiter annos extenditur, a Dione, seu ab ejus excerptore *breve tempus* vocatur; cur menses tantum octo Imperii ejusdem Augusti, quibus cum Cornelia vixit, Herodianus non potuit itidem *breve tempus* appellare?

Præterea in alio opere pag. 41. notaveram, Herodianum initio historiæ suæ ὀλίγον χρόνον, *breve tempus* ad spatium sexaginta annorum prorogasse. Sed vir eruditus ait, Herodianum recte vocare potuisse *breve tempus* spatium sexaginta annorum universo suo opere comprehensum, habita nimirum ratione longe plurium annorum, qui jam inde ab Augusto ad M. Aurelii tempora fluxerunt: qui plures anni ex verbis Herodiani ab ipso statim allatis sunt numero ducenti. Comparationem accipio, atque ad calculum voco. Sexaginta anni, quos *breve tempus* esse dixit Herodianus, tertiam circiter partem ducentorum annorum conficiunt. Si ergo *breve tempus*, quod idem Herodianus matrimonio Corneliæ tribuit, cum reliquo tempore, quo cum ceteris uxoribus egit Elagabalus, conferatur, ut quidem Vignolius confert, tertiam ejus partem occupabit, & proinde menses fere novem: nam putato tempore a Novembri mense anno 219. quo primam uxorem Corneliam duxit, ad ejus necem Martio mense ann.

222. menses quatuor supra annos duos conflantur. Ergo *breve* illud *tempus* Corneliæ comparatum cum aliarum uxorum tempore, ex ipsamet Vignolii argumentatione novem menses complectitur. Ceterum verius puto, ut olim dixeram, *breve tempus*, quo Elagabalus cum Cornelia mansit, comparandum esse cum toto vitæ spatio, quo solet conjugalis consuetudo constare: qua ratione octo mensium tempus breve omnino dici poterit.

Quamdiu vero Elagabalus, subdit ille, Corneliam Paullam retinuerit, & quodnam temporis spatium verba illa Herodiani μετ' ὀλίγον χρόνον denotent, a Dione exponitur. Muneribus enim recensitis, quæ in ejusdem Paullæ nuptiis largitus Elagabalus fuerat, statim subdit: POSTHÆC *repudiata Paulla, quod maculam haberet in corpore, sicuti dicebat, Aquiliam Severam duxit aperte contra jus fasque*, quare *post hæc*, videlicet post munera, seu Congiarium distributum repudiatam Paullam ab Elagabalo fuisse, auctor est Dio. Hæc ille. At nos in textu Græco Dionis comperimus hæc verba: ἔπειτα τὴν παῦλαν, quæ particula ἔπειτα adverbium est, reddique debet, *postea, deinde*, non vero *post hæc*. Narrat hoc loco Dio matrimonia Elagabali, uxorumque ejus casus. De prima, nempe Cornelia Paulla, ait, in ejus nuptiis Elagabalum dedisse Congiarium amplissimum. *Deinde*, inquit, ea repudiata Aquiliam Severam duxit. Hoc *deinde* non refertur ad Congiarium, sed ad matrimonium Paullæ: Sermo enim de Elagabali matrimoniis est. Quare inter unum & aliud matrimonium quodcumque velis temporis spatium, interserere poteris.

Quod V. Cl. subdit, Dionem etiam prodidisse caussam, cur tam cito Elagabalus dimiserit Corneliam, quod nimirum *maculam haberet in corpore*, poterat certe omitti. Nam Dio prodidit quidem caussam, cur dimiserit; sed nusquam prodidit, *cur tam cito*. Imo Historicus Elagabalum prætexisse hanc caussam aperte indicat, subdens, *uti dicebat*. Caussam vero hanc ideo prætexuit Elagabalus, ut Aquiliam duceret, cujus se captum amore fassus est in Epistola ad Senatum apud Hero-

Herodianum lib. V. c. *6*. & quoniam me non decet ſecreta thori maritalis licentius perveſtigare, & cum Vignolio inquirere, utrum *veriſimile*, *ac rationi conſonum* ſit, quod ille negat, Elagabalum non ante menſes octo vel novem animadvertere potuiſſe maculam in corpore Corneliæ Paullæ; hoc dicam tamen, Elagabalum tum ſolum de macula locutum fuiſſe, cum impotenti amore Aquiliæ flagrans cauſſam aliquam dimittendi Corneliam quærebat, ut illam ſibi jungeret: quod fieri potuiſſe etiam poſt octo vel novem menſes, nemo non videt.

CAPUT IV.

Perperam Auctori imponit, viſum aliquando nummum Græcum, vel Ægyptium cum epigraphe ADVENTVS AVG. Imo, ideo nummum Corneliæ Paullæ Egyptium aſſeruit referri non poſſe ad Elagabali adventum. Quid ſit figura nuda in eodem nummo equo inſidens. Iterum Auctori imponit. Ejus mentem, nec Plinium eſt aſſequutus. Mos Romanorum & Græcorum in ſtatuis velandis. In explicanda illa figura varius eſt Vignolius. Ejus rationes & conjecturæ falſæ: & ſtare non poſſunt. Epigramma Archiæ non intellexit. Victores Pythici coronabantur ex pomo arbore. Acervus globorum in nummis græcis, in quibus ludi Pythici repræſentantur, quid indicet. Corneliæ nummum male explicatus a Vignolio. Quid ſint globi in nummo Ægyptio Domitiani. Item falſa explicatio nummi M. Aurelii. Mercurialis defenſus. Virga Conſularis etiam ſine Aquila invenitur. Baculus ſive ſceptrum inſigne eſt proprium Conſulis, neque ad triumphantes pertinet.

DOcet me initio hujus capitis Cl. Vignolius, nuſquam viſum nummum aliquem Græcum, vel Ægyptium, qui alicujus Imperatoris adventum exhibeat, titulo hujusmodi inſcriptum: ADVENTUS AUG. tanquam ſi ego id adſeruiſſem

ſem in verbis hiſce, quæ in limine ejusdem capitis ex pag. mea 17. recitat: *Non negaverim in nummis Imperatorum plerumque cum Imperator pacificatoris habitu effertur, appoſitam eſſe Epigraphen* ADVENTUS AUG. *Sed in hoc nummo Corneliæ Paullæ, quod equidem doleo, deeſt hujusmodi Epigraphe.* Sed præter quam quod non advertit animum ad feſtivum quendam loquendi modum, quo ego uſus fueram, prætermiſit etiam verba, quæ ſequuntur, in quibus quid ſenſerim aperte dignoſcitur. Deeſſe cum dixi in nummo Corneliæ epigraphen ADVENTUS AUG. ſtatim hæc ſubjeci: *& ſumma ratione deeſt: nam neque Elagabalus Pacificatoris habitu in eo repræſentatur, nec nummus ipſe ob ejusdem* ADVENTUM *percuſsus eſse poteſt.* Cauſſam vero, ob quam nummus Corneliæ percuſſus eſſe non poterat ob adventum Elagabali legendam præbueram pag. 21. lin. 21. ubi & ipſe poterat eam legere: *& profecto Civitatem Græcam, ſeu Ægyptiam, in qua ſcalptum eſt hoc numisma, cogitaſse de* ADVENTU *Elagabali in Urbem, non eſt veriſimile. Quare* L. Γ. *annus tertius in eo nummo obſignatus referri nequit ad Elagabali adventum.* Quid ergo ſibi perſuaſit Vignolius, putaſſe me reperiri nummos Græcos, ſeu Ægyptios, qui adventum Imperatorum in Urbem exprimerent?

Ab altera hujus capitis controverſia libenter abſtinuiſſem, tum quia aliena ab argumento eſt, tum etiam quod & ego, & Vignolius divinando tempus terimus. Nam quid ſit figura illa nuda, quæ in eodem nummo Corneliæ equo inſidet, neque me, neque illum quicquam certi adſequutos arbitror. Ego ſtatuam Elagabali repræſentare conjeceram; & eo potiſſimum ducebar, quod nuda eſt: nam Græci artifices *plerunque* ſtatuas nudas effingebant, ut Antiquariis notum eſt, & Plinius lib. XXXIV. cap. 5. de ſtatuis ait: *Græca res eſt nihil velare.* Cl. Vignolius ita me intellexiſſe hunc locum Plinii putat, *perinde ac ſi Græci, vel Ægyptii ſtatuas ſuas* OMNES *nudas fecerint, & Elagabali ſtatuam iſtam velare non potuerint.* Atque ut hoc falſum eſſe probet, præclara quædam exempla congerit ex Pauſania, Æſchine, & Plinio, quibus

F evin-

evincit, Græcos etiam velare statuas consuevisse; uti contra Romanos quandoque etiam nudas exhibuisse. Quare opinatur eam esse mentem Plinii, ut frequentius quam Romani statuas suas Græci nudaverint.

At præter quam quod non ego scripsi, statuas *omnes* nudas Græcos effinxisse, sed *plerumque*, ignoscat vir Clarissimus, si dixero, eum neque mentem Plinii fuisse assequutum, neque meam. Integrum ejus locum afferamus: *Græca*, inquit, *res est nihil velare: at contra Romana ac militaris thoracas addere*. Ergo *nihil velare* non est, nullas unquam statuas velatas facere, uti me Plinium intellexisse putat; multo minus est, aliquas non velatas, aliquas velatas, ut ipse intellexit. Sed *nihil velare*, est nihil in statua, seu nullam partem statuæ velare, ac vestimentis tegere. Hunc esse Plinii sensum, diversus Romanorum mos ostendit, qui velabant aliquam partem statuæ *thoracas* addendo. Thorax appellatum est munimentum militare, quod pectus & ventrem usque ad pubem tegit, ~~cetera nuda sunt:~~ cujusmodi statuas militares complures adhuc cernimus. Ideo Romanam ac militarem rem esse, *thoracas* addere, dixit Plinius. Hoc ergo intererat inter Græcorum & Romanorum morem; quod isti partem aliquam statuæ velare consueverant, illi nullam.

Figuram eandem *equestrem* Elagabalum, seu ejus statuam, repræsentare conjeceram; quod coronam gestet in capite, atque in manu globum, quo denotatur orbis terrarum, cujus ille imperium obtinebat. His nihil opponit Cl. Vignolius; sed ex sua sententia opinatur ad pag. 29. figuram illam *Genium* esse aliquem ex iis quos vetusta superstitio nudos & corona ornatos sæpe effingere solebat. Deinde pag. 34. non amplius eam esse *Genium* decernit, sed juvenem *lusorem*, equo insidentem, nudatumque, uti *lusores* effingebantur, qui victor in certamine in honorem Corneliæ ab urbe aliqua Ægyptia instituto, gestat in capite coronam vel pineam, vel ex oleastro, vel ex apio, simulque pomum victoriæ suæ insignia. In quam rem hoc affert Epigramma Archiæ, quod in Anthologia Græca primum est.

Hellas

Hellas habet quatuor, quatuor certamina sacra,
Altera sunt superis, altera sacra viris.
Portuno, Archemoro sacra sunt, Phœboque, Jovique,
Pinum, oleastrum, apium, POMA*que victor habet.*

Hinc errasse etiam contendit Mercurialem, qui lib. 2. cap. 5. de arte Gymnastica globos illos, qui in nummo M. Aurelii a Byzantinis percusso visuntur, esse pilas trigonales in ludis Actiis Pythiis adhiberi solitas arbitratur. Nam ipse eos esse potius poma putat, quæ victoribus in iisdem ludis dabantur. Demum pag. 34. ad Genium reddit, atque ita cum corona & pomo Ægyptios suorum quandoque ludorum Genios designasse autumat, ut in nummo Domitiani, cujus ectypum exhibet: in quo duo juvenes nudi pariter occurrunt, qui sinistra globum ejusmodi gestant, dextera vero mutuo se coronant, ut ambo in certamine victores evasisse indicio esset.

Hæc vir Clarissimus: quæ non levibus difficultatibus scatent. Primo enim equestria certamina a nudis hominibus fuisse peracta, tam ego ignoro, quam ille se ignorare paullo ante ajebat, nudas Imperatorum statuas equestres fuisse effictas. II. Si ex Epigrammate Archiæ sumenda est explicatio insignium nostræ figuræ, ut facit V. C. poma quidem in quarto Epigrammatis ludo, qui Pythicus in honorem Apollinis est, video, coronam non video. III. Si ceteri ludi in Epigrammate expressi coronas suas habent, Olympici nimirum Jovi sacri ex oleastro, Isthmii Portuno seu Palæmoni ex pinu, Nemei Archemoro ex apio, nescio cur quartus ludus Pythicus Phœbo dicatus corona sua carere debeat: nam ex pomis coronas factas nemo dixerit, nec Vignolius ipse, qui pomum, ut in nostra figura, manu gestatum asseverat. IV. Si poma data sunt in ludis Pythicis, & pomum manu gestare in manu juvenem equo insidentem victoriæ suæ indicem ille contendit; non intelligo, cur velit, eidem juveni datam coronam, *vel pineam, vel ex oleastro, vel ex apio*, quæ coronarum genera ad alios tres ludos pertinebant. V. Si in tri-

bus hisce ludis dabantur coronæ unicuique propriæ, non debuit ergo quartus Pythicus corona sua caruisse: quæ cum ex pomis fructibus fieri nequeat, necesse est in Epigrammate Archiæ pro pomo fructu intelligendum esse pomum arborem, ex cujus ramis coronati fuerint victores in ludis Pythicis. Quod si hoc verum, frustra ex hoc Epigrammate deducit Vignolius, juvenem equo insidentem gestare manu pomum fructum. Verum autem hoc esse luculenter docet nos Ausonius, qui in versione ejusdem Epigrammatis sub hoc titulo, *de lustralibus agonibus*, vocem Græcam μῆλα, non pomum fructum reddit, sed pomum arborem, ex qua corona dabatur.

Quattuor antiquos celebravit Achaja ludos:
Cælicolum duo sunt, & duo festa hominum.
Sacra Jovis, Phœbique, Palæmonis, Archemorique,
SERTA *quibus pinus*, MALUS, *oliva*, *apium*.

Huic interpretationi auctoritatem addit Libanius in libro de laudibus palmæ & ~~pomi arboris, ubi perspicue~~ victores Pythicos testatur coronatos fuisse pomo arbore: *Palma quidem*, inquit, *omnis certaminis fit corona*, *& ramum habet victoriæ signum*: POMUM *vero rursus* CORONAT *Pythicum certamen*. In Græco est μηλέα, quæ vox pomum arborem, non fructum significat. Ergo Archias μῆλα, fructum posuit pro μηλέα arbore: quod factum est etiam ab auctore γεωπονικῶν, qui est Constantinus lib. 10. ubi hæc verba, ἐγκεντρίζεται μῆλον εἰς πᾶσαν ἀχράδα, *inseritur malus in omnem pyrum silvestrem*. Insitio fit ramo arboris, non fructu. Haud ignoro alios auctores de his quatuor certaminibus loquentes habere μῆλα fructum, ut Lucianus in Anacharsi, seu de Gymnasiis, & Maximus Tyrius in quadam Orat. At vel isti hoc verbum eadem notione ac Libanius acceperunt; vel ita intelligendi sunt, ut victor in ludis Pythicis coronatus fuerit ramusculis pomi arboris suo fructu oneratis, uti intellexit Jacobus Palmerius conciliaturus Libanium cum Luciano in exercit. ad auctores Græcos pag. 549. Verum ne quid dissimulem, scio etiam in pluribus nummis Græcis, in quibus agones Actii Pythii re-

præ-

præsentantur, reperiri acervum globorum, quos Antiquarii poma esse victoribus in præmium tributa existimant. Nolim eorum auctoritati obstare: at quoniam in ludis Actiis Pythiis, ut mox ostendam, certamen pilarum inter cetera erat in usu, nonne dici posset, globos illos esse pilas seu folles iis in nummis positos ad denotandum ludi genus, quo in Pythicis tunc actis certatum fuerat? Ut ut vero hæc sint, certum videtur, Epigramma Archiæ Cl. Vignolio non profuisse ad demonstrandum, equestria certamina designari in nummo Corneliæ, & figuram equestrem illi insculptam gestare pomum victoriæ suæ indicem.


Nec magis illi profuit Ægyptius Domitiani nummus; propterea quod globi, quos manu tenent duo illi juvenes, quos vocat *Genios*, se invicem coronantes, non poma videntur esse, sed pilæ seu folles, quibus in ludo aliquo se evasisse victores ostendunt. Quæ quidem nostra explicatio ita vera esse potest, uti ea est falsa, quam vir doctus nummo Byzantinorum M. Aurelii, a Mercuriali exhibito, affingit. In mensa stat urna, in qua tres palmæ, atque inscriptio ΠΥΘΙΑ ΑΚΤΙΑ. Inferius tres nudi homines, qui globos manibus gestant, præter duos, qui in aera jactati cernuntur. Motus manuum, figura & habitus corporum, ac duo globi jam manibus excussi, apertissime ludentes viros pila trigonali, ut explicaverat Mercurialis, demonstrant: quo genere ludi in certaminibus Pythicis, vel in Sacrificiis, ut mavult idem auctor ob vas sacrificale in mensa positum, nisi vas illud sit præmium victorum, illi victoriam reportaverant. Quæ certiora fiunt ex nummo altero Gordiani tertii apud eundem Mercurialem eodem ipso cap. 5., in quo iidem ludi Actii Pythii, ac in superiori M. Aurelii nummo, eadem urna cum tribus palmis, idem vas, tres item viri manu globum gestantes spectantur. Hos porro globos pilas lusorias esse, vel homines illi cesto armati ad pilas, seu folles jactandos fortius & impellendos declarant. Ergo nequaquam poma sunt globi in nummo Byzantino M. Aurelii, sed pilæ: quod dixerat Mercurialis, immerito etiam in Indice a Cl. Vignolio *notatus*.

tus. Proinde neque poma esse possunt globi in nummo Ægyptio Domitiani, sed pariter pilæ lusoriæ, quas ostentant duo illi juvenes se invicem coronantes: qui non Genii ludorum sunt, sed lusores ipsi, in hoc nummo non secus ac in duobus aliis M. Aurelii & Gordiani, licet sub diversa figura, repræsentati.

Postremum signum, ex quo figuram equestrem in nummo Corneliæ Elagabalum referre arguebam, baculus est seu scipio, qui Consulatum ejus demonstrat. Hoc negat V. C. eo quod desit Aquila, sine qua scipionem *nunquam* posse indicare Consulatum asseverat. Aquilam super virga eburnea peculiare Romanorum Consulum insigne fuisse, quod ille ostendit exemplis, non ignoro: at virgam Consularem *nunquam* sine Aquila inveniri, hoc ita ignoro, ut plures nummos viderim, qui illam sine *Aquila* præseferunt. Vidi siquidem binos aureos apud Senatorem amplissimum Jo: Dominicum Theupolum, Vespasiani unum, Trajani alterum, dextera ramum, sinistra scipionem sine ullo vestigio *Aquilæ* gestantium. Vidi alterius typum, quem non vidit, vel dissimulavit Cl. Vignolius: nam cum ex Museo Carpineo unum retulisset Antonini Caracallæ a Perinthiis percussum, in quo Imperator sceptrum habet cum *Aquila*, extatque in tabula IX. num. 5., prætermisit alium in tabula X. num. 1. ejusdem Caracallæ, atque ab iisdem Perinthiis signatum, in cujus parte adversa Imperator in quadrigis dextera tenet ramum, sinistra sceptrum sine *Aquila*. Quem quidem nummum Senator doctissimus Philippus Bonorota in Commentariis ejusdem Musei pag. 155. percussum fuisse in Caracallæ Consulatu primo non dubitat: & quamquam nummus ipse ejusdem triumphum repræsentat, attamen sceptrum, ait pag. insequenti 156., positum fuisse in signum Consulatus, quamvis probe vidisset carere *Aquila*: qua caret etiam apud Josephum Monterchium, qui hunc ipsum nummum dedit in numismatis ejusdem Musei num. 8. Ceterum baculus sive sceptrum insigne est proprium Consulis; neque ad triumphantes pertinet, ex eodem Cl. Bonorota pag. 187. Norisio

sio de numm. Diocletiani cap. 5. & Vaillantio de numm. aureis & arg. pag. 288. aliisque in locis. In nummis Arscotanis tab. LV. num. 16. visitur numisma Elagabali inscriptum TR. P. III. COS. III., in quo Imperator in quadrigis ramum una manu, sceptrum altera sine Aquila gestat. Processus est Elagabali in Consulatu III. ann. 220. peractus. Vaillantius in nummis aureis, & arg. pag. eadem 288. argenteum alium describit ad processum Consulatus IV. pertinentem, in quo ait spectari ramum in dextera, scipionem eburneum in sinistra, nulla Aquilæ facta mentione. Qui etiam pag. 279. aureum Macrini in quadrigis delineatum exhibet cum TR. P. II. COS. II., in quo ad oculum nudus est baculus; sicut in alio æreo apud Angelonum in tabula Macrini num. 6.

Ceterum vir doctus, qui *globum* & *Coronam* in figura nostri numismatis ad ludos in honorem Corneliæ actos retulit, nusquam tamen explicavit, quo modo baculus ad ludos eosdem pertineat. Quod, ut faceret, optandum erat, ne objicere possemus: si baculus aptari nequit certaminibus, nec posse cetera insignia.



CAPUT V.

Utrumque monumentum, nempe Programma Cycli Paschalis S. Hippolyti, & Inscriptio Panvinii, verum esse nequit, eo quod inter se pugnent. S. Hippolytus more Romano computavit annum primum Alexandri. Notæ falsitatis saxi Panviniani iterum asseruntur, novis argumentis probantur: & ab objectis vindicantur. Cur monumentum Hippolyteum Panviniano sit præferendum. Panvinius inscriptiones falsas aut vitiatas aliquando obtulit. Id accidit etiam aliis antiquariis. Probatur maxime exemplo duarum Inscriptionum. Verisimile non est Elagabalum Deo Serapidi Statuam dicasse. Dio, & Herodianus explicantur; Illud etiam deducitur ex ipsius Vignolii argumentatione. Veteres Theologiam

logiam suam in tria genera distinxere. Alius in Egypto deus erat Serapis, alius Elagabalus in Syria, etiam cum eorum Religio Romam delata fuit. Hinc iterum inverisimile Elagabalum Serapidi statuam dicasse. Argumentum ab exemplo Septimii & Caracallæ petitum, cur sit alienum. Nec est vera Inscriptio Panvinii, quia reperitur descripta in Codice Vaticano. Hinc cum vera tantum sit Inscriptio S. Hippolyti, verum etiam est Elagabalum die XIII. *Aprilis ann.* 222. *jam extinctum fuisse, & Alexandrum imperasse. Item illius mortem in diem* X. *vel* XI. *Martii ejusdem anni incidisse.*

MORS Elagabali in Martium mensem ann. æræ vulgaris 222. eo potissimum conjecta a me fuerat, quod Alexander ejus successor die XIII. Aprilis jam Imperator proponitur in lemmate Cycli S. Hippolyti his apertissimis verbis: *Anno* I. *Imperii Alexandri Imp. facta est* XIV. *Paschæ Idibus Aprilibus, Sabbato.* Sed obstabat Inscriptio relata a Panvinio lib. 2. Fast., in qua statua, seu aliud signum legitur dedicatum Serapidi ab Elagabalo iisdem prorsus Idibus Aprilibus. Propterea dixeram, *alterutrum ex his antiquitatis monumentis falsum vel mendax* esse: quam notam, cum Hippolyteo inurere piaculum sit, certe in Panvinianum rejiciendam esse. At Cl. Vignolius initio hujus capitis *utrumque legitimum ac verax* pronunciat: quandoquidem nihil, inquit, habet marmor S. Hippolyti, quod veritati, atque adeo Inscriptioni Panvinii repugnet. Hoc se demonstraturum promittit suo loco, nimirum cap. XI., ubi contendit S. Hippolytum accepisse *annum primum* Alexandri veluti cæptum a Kalendis Januariis anno 222. modo computandi Juliano. Hanc nos interpretationem suo item loco refutabimus, nec aliter loquutum S. Hippolytum ostendemus, quam Romano more computasse *annum primum* Alexandri, nempe a die ejus imperii natali, non vero a Kalendis Januarii antecedentibus. Satis hoc esset, ut *legitimum ac verax utrumque* monumentum dici nequeat: nam si cæpti sunt anni Alexandri

ab

ab exordio ejus imperii, non poterat Elagabalus vivus esse XIII. Aprilis, quo die Alexander jam regnabat. Ergo legitima ac vera non est Inscriptio Panviniana, in qua Elagabalus die eodem XIII. Aprilis dicat Statuam Serapidi. Satis, inquam, hoc esset, nisi Clarissimus vir argumenta falsitatis saxi Panviniani, quæ ego aliis etiam ex fontibus petiveram, longa disputatione convellere in hoc capite fuisset adgressus. Quamobrem mihi etiam in his diutius est immorandum.

Ac primum compellat me vir doctus, ut quandoquidem Inscriptionem Panvinii suspectam habeo, vitia ipsius patefaciam, atque idoneis argumentis probem. Non enim, ait, satis est, quod marmor illius amplius non extet, vel quod a Panvinio productum sit, qui nobis non semel falsas & vitiatas inscriptiones obtrusit. Nam, subdit ille, si ita res se haberet, inscriptiones, quas non paucas a Panvinio exceptas, vel quorum marmora periere, Gruterus recitat, jam dubiæ fidei ac nullius auctoritatis essent: ac proinde Gruterus ipse, & cum eo Reinesius, Fabrettus, ceterique Inscriptionum Collectores operam lusissent: a quibus etiam Inscriptiones quamplurimæ adduci solent, quarum lapides vel prorsus non extant, vel ubi sint penitus ignoratur. Sed vir Clarissimus nimium sibi, ac literis timet. Nam quod ego tantulam Inscriptionem Panvinii in suspicionem vocavi, non ideo Grutero, Reinesio, Fabretto, atque universæ antiquariorum genti diem dixi; omnesque Inscriptiones ab iis ex Panvinio collectas, vel quorum saxa non extant, falsi crimine damnavi. Novumne hoc est, & non antea auditum, Inscriptiones aliquas vel culpa exscriptoris, vel ævi detrimento, vel fallendi ingenio, vel aliis demum ex caussis vitiatas, suspectas, ac falsas esse? Illæ vero potissimum Inscriptiones merito suspicionis, aut falsitatis arguuntur, quæ aliis monumentis non dubiæ fidei repugnant. Ergo eam ob caussam Inscriptionem Panvinii suspectam aut falsam habui, quod programmati Cycli S. Hippolyti adversetur. Quis vero si componat alterum monumentum cum altero, non statim

Hippolyteo primas deferat? Hoc extat integrum, incorruptum, atque omnium oculis patet: Panvinianum nusquam est, neque ejus characteres adspectu explorare possumus, nosque certiores reddere, an autographum exemplo Panvinii respondeat. Hinc non ego eo solum, quod marmor non extet, Inscriptionem hanc dixi falsam; sed quia cum programmate Hippolyteo non consentit, & ex autographo de ejus veritate judicare non licet.

Ut vero suspicionem falsitatis confirmarem, Panvinium, quamquam antiquitatis peritissimum, Inscriptiones falsas aut vitiatas nobis obtulisse subdidi, vel ab aliis perperam exscriptas, vel quod ipse, ut crebro etiam oculatissimis usu venire solet, minus accurate eas reddiderit. Hæc ostendo exemplis. Et primo, quamvis possem & alia, unum insigne adducam ex Card. Norisio, qui quamquam Panvinii civis, & admirator perpetuus, fatetur tamen in Epistola Consulari pag. 15. illum vitiasse Inscriptionem, quæ extat apud Gruterum pag. CXIII., & præter fidem posuisse nomen M. *Furii Camilli Scriboniani*, quod nomen deletum est in marmore. Cur etiam in nostra additum aliquid, vel demtum esse non potuit?

Deinde etiam oculatissimos in re antiquaria Inscriptiones minus accurate vel exscripsisse ipsos, vel ab aliis corruptas in lucem emisisse, ita exploratum est eruditis, ut probatione non egeat. Attamen hoc loco duo illustria exempla, tum quod ad me pertineant, tum etiam eruditionis gratia, prætermittere nolo. Raphael Fabrettus, quo nemo in perscrutandis marmoribus diligentior, nemo in exponendis doctior, lib. IV. domestic. inscript. pag. 258. Epigramma hoc a se exscriptum Romæ ex urna apud Lucam Corsum produxit.

D M

D M
T. AELIO. AVG. LIB. TATIANO. PROX.
A. LIBR. SACERDOTAL. DEI. CARNVNT
ANN. XXXXII. M. III. D. XIX. MARIT. VIRGIN.
DVLCISS. ET. INCOMPARABILI. BENE
QVE. MERITO. QVEM FVNERAVIT
FL. AMPELIS. CONIVX. CARISSIMA
ET. RELIQVIAS. EIVS. PERMISSV. IMP
IPSA. PERTVLIT. CONSECRAVITQVE
CVM. Q. V. A. XII. M. III. D. XXI. SINE. VLLA
QVERELA

Legit ergo Fabrettus DEI. CARNVNT., atque hunc *Deum Carnuntem* tutelare patriumque numen fecit Carnunti opidi Germaniæ. Ego vero ejus auctoritatem & fidem sequutus, in dissertatione de Beleno, quæ post Monumenta veteris Antii extat, pag. 288. deum ipsum Carnutum ad Apollinem Carneum, seu Belenum retuli. Quis credat nullum esse *deum Carnutum* in hac Inscriptione, & virum oculatissimum se ipsum, nosque fefellisse? Etenim in marmore est scriptum DEF. CARNVNT., non vero DEI, ut mihi semel iterumque per literas testatus est doctissimus Gisbertus Cuperus, qui vidit & accuratissime perlustravit marmor ipsum, quod ex Italia deportatum nunc prostat Amstelædami apud Cl. Vylembroechium: atque etiam nuper ab eodem delineatam Inscriptionem ipsam ad me misit. Ergo Ælius Tatianus, seu potius Titianus, ut scribitur in lapide DEFunctus est CARNVNTI: cujus *reliquias* Fl. *Ampelis Coniux permissu Imperatoris* pertulit, & consecravit. Vox *pertulit*, subdit illustris Cuperus, indicat satis superque alio in loco mortuum esse Titianum, & Cineres vel Cadaver, Romam forte, concedente istud Imperatore, veluti Pontifice Maximo, uti fieri solebat, deportatum esse.

Alterum exemplum præbet vetus Inscriptio ADRIAE extans, quam Petrus Appianus in sua collectione pag. CV., & Gruterus pag. DCCXLIV. I. referunt; sed perperam Mo-

rimundi in agro Mediolanensi inveniri scribunt. Cum primum Adriam accessi, oculis in eam conjectis, miratus sum nondum quemquam ejus characteres intellexisse: nam præter Appiani, & Gruteri exemplaria, vidi etiam alia tum Adriæ, tum Rhodigii pessime depravata. Ergo has literas marmor in turri Campanaria Ecclesiæ de Tumba insertum exhibet.

D M
Q. TITIO SERTORIA
NO Q. TITIVS SEVE
RVS FILIVS QVI ET
COL NAVT MA DEDIT
S N CCCC AD ROSAS ET
ESCAS DVCENDAS EI
OMMIBVS ANNIS

Appianus scribit: QVI EI COL NAVIM DEDIT. Gruterus: QVEI COLL. ANN. DEDIT. alii: NAVIM ADDIDIT: perperam omnes, & sine congruo sensu: At literæ ita se habent, nec dubia ulla mihi est, præter tertiam in voce COL. quæ videtur I. præseferre. Attamen cum lapis eo in loco valde sit exesus relinquenda est L., & ea nota compendiaria sic reddenda: COLlegio. Sequitur NAVT. perspicue. MA item nullam dubitationem patitur. Inscriptio itaque hoc modo est explicanda: Q. TITIO SERTORIANO Q. TITIVS SEVERVS ejus FILIVS hoc monumentum posuit, QVI Severus ET, pro *etiam*, COL*legio* NAVT*arum Municipii Adriensium* DEDIT *Sextertios Nummos* CCCC AD ROSAS ET ESCAS DVCENDAS EI Sertoriano OMNIBUS ANNIS. Collegium Nautarum sub nomine *corporis Nautarum* reperitur apud Gruterum pag. CCCCLXVI. 7. & *Collegium Naviculariorum* p. CCCCXLIX. 6. Sub duabus illis literis singulariis MA autumo latere *Municipium Adriense*. Scio etiam legi posse, *Nautarum Maris Adriatici:* imo etiam conjunctis literis, *Nautarum MAritimorum*, ad differentiam *Nautarum fluvialium ;* quod placuit

cuit Cl. Cupero, quocum olim varias has lectiones communicavi; atque etiam Cl. Silvestrio nostro in notis ad Juvenalis Satiram VII. num. 207. sed primam lectionem omnino amplectendam statuo, quod aliæ idoneis exemplis careant, hæc vero compluribus fulciatur, quibus litera singularis M. in *Municipium* resolvitur. In Thesauro Gruteri pag. LXXXVIII. 13. M. A. A. significat Municipium *Albae Augustae*: pag. sequente II. DEC. M. APUL. *Decurio Municipii Apulensis* in Dacia: pag. CDXXXVI. M. B. *Municipium Bergomatum*: pag. CCCXCLVI. 4. M. M. *Municipium Mediolanense*: pag. CCCCII. 2. M. S. *Municipium Sassinatium*: & pag. DCCXLVIII. 2. M. R. *Municipium Ravennatium*. Quod quidem postremum exemplum omnium est aptissimum ad nostri lapidis explicationem, tum quia ab urbe proxima Ravenna petitum, tum quia in ceteris quoque consentit: ut vero prorsus simile videatur, alterum ad alterius imitationem fuisse compositum. Ita autem Ravennatense est scriptum: OB MEMORIAM. PATRIS. SUI. DEC. VII. COLLEGI. FABRUM. M. R. (Municipii Ravennatium) H-S ↀ. O O N̄. LIBERALITATE. DONAVIT. SUB. HAC. CONDITIONE. UT. QUOT. ANNIS. ROSAS. AD. MONUMENTUM. DEFERANT. ET. IBI. EPULENTUR. Ergo M. A. est *Municipium Adriensium*; uti M. R. est *Municipium Ravennatium*, & M. B. *Municipium Bergomatum*, cum cæteris. Accedit auctoritas Reinesii, qui M. singulare notare *Municipium* docet, Class. I. 8. Class. II. 27. Class. III. 57. & Class. VI. 46. 56.

Ergo si Fabrettus oculatissimus ac doctissimus lapidem, quem sub oculos habuit, perperam legit, atque exscripsit, cur etiam Panvinio id accidere non potuit? & si lapis idem modo non extaret, eumque Cl. Cuperus non vidisset, in errore de Deo Carnuto adhuc versaremur. Adriensis quoque Inscriptio cum sua mala litera nobis adhuc imponeret, nisi saxum perlustrare & legere nobis liceret. Quis igitur, si procul abest lapis Panvinianus, nos certos faciet, non illum etiam, cum exscriptus fuit, ratione aliqua vitiatum aut corruptum fuisse?

Verum

Verum quid de vitio, aut corruptione disceptamus, si falsi indicia, quæ postulabat Vignolius, propemodum manifesta sese nobis offerunt? Dixeram pag. 64. & nunc audentius assevero, nequaquam esse verisimile, Elagabalum deo Serapidi statuam, vel signum aliquod dicasse, uti expressum est in lapide Panviniano. Qui enim *religiones omnes extinguere* voluit, nullumque deum alium Romæ coli præter *unum* deum suum Elagabalum, quo potuit fieri modo, ut Serapidi publico monumento atque insigni honorem cultumque tribuerit? *Heliogabalum*, inquit Lampridius cap. 3. *in Palatino monte consecravit, eique templum fecit, studens & matris typum & Vestæ ignem, & Palladium & ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens*, NE QUIS ROMAE DEUS NISI HELIOGABALUS COLERETUR. Atque ut cap. 6. subdit, adeo vesano cultu in Deum hunc suum raptus est, ut *non Romanas tantum religiones extinguere voluerit, sed per Orbem terræ, unum studens*, ut HELIOGABALUS DEUS UNUS UBIQUE COLERETUR.

Hisce adeo expressis ac perspicuis testimoniis opponit Cl. Vignolius Dionem ac Herodianum, qui tradunt Elagabalum anteposuisse deum suum aliis diis, atque ipsi Jovi: non ergo, inquit, ille voluit, ut religio eorum omnis & cultus cessaret. Atqui potuit Dio eadem cum Lampridio scripsisse; sed Xiphilinus hoc solum in epitomen suam transtulit. De Herodiano certum est, eum Lampridio consentire, ut mox patebit. Ac primum hoc moneo, ejus verba, quæ in suam sententiam vir Clarissimus profert, ad rem non pertinere. *Edixit item*, inquit Herodianus lib. V. cap. 5. *ut omnes Romani magistratus, quique publice sacra facerent*, ANTE ALIOS DEOS, *quorum meminisse inter sacrificandum solent, novum illum deum Heliogabalum nuncuparent;* nam hoc edixit Elagabalus ante adventum in Urbem, cum adhuc Nicomediæ esset: nos vero de Romæ gestis loquimur. Noluit scilicet Elagabalus initio imperii, ne Romanos statim offenderet, omnem prorsus abolere religionem, contentus deum suum aliis anteponi; ideoque etiam ut paullo ante narrat

Hero-

Herodianus, figuram numinis depictam in tabula præmisit Romam, jussitque in media Curia poni, ut a Senatu coleretur. *Sed ubi primum ingressus est Urbem, Heliogabalum in Palatino monte consecravit*, ceteraque gessit, quæ supra ex Lampridio expressimus, *id agens ne quis Romæ deus nisi Heliogabalus coleretur*. Præterea, subdit Historicus cap. 6. *& signum, quod Palladium esse credebat, sustulit, & auro fictum in sui dei templo locavit. Typum quoque matris deum eripuit,..... & sanctum nomen ablatum in penetrale dei sui transtulit*. Ita cum deorum sacra & imagines in dei sui templum transduxisset Elagabalus; post ejus mortem initio imperii Alexandri restituta omnia fuerunt delubris suis. *Igitur primo*, inquit Herodianus initio lib. VI. *deorum simulacra quæ ille propriis sedibus extulerat, suis quæque templis, delubris, fanisque restituerunt*. Quamvis vero Elagabalus Nicomediæ edixerit, ut deus suus nuncuparetur *ante alios deos*, Romæ tamen aliter se gessit, ipso Herodiano teste: deos enim omnes a suis delubris abstractos in templum dei sui transtulit; ut scilicet eorum cultum & religionem demoliretur, & unum deum suum colendum proponeret. Quod illud ipsum est, quod tradidit Lampridius.

Porro *voluit* pessimus Imperator *religiones omnes extinguere*, sed non effecit; nec potuit a Romanorum animis insitum deorum cultum avellere. Hinc Senatus, quod opponit vir doctus, non dubitavit numismata cudere deorum illorum nominibus insignita, quos ille commemorat pag. 44. Neque quod fecit Senatus, fecisse etiam Elagabalum dici potest. Nam si eo animo fuit Elagabalus erga deos, & si eorum simulacra a suis templis ac fanis abstraxit, quis credat, illum ipsum statuam posuisse Serapidi in ipsomet ejus templo, ut pag. 49. verisimile putat Vignolius?

At profecto cum ille pergit Elagabali causam agere, ab eoque crimen extinguendæ deorum religionis amovere, parum illi consuluit referens ex Lampridii capite 7. illum dicere solitum, OMNES DEOS *sui dei ministros esse, cum alios ejus cubicularios appellaret, alios servos, alios diversa-*

rum

rum rerum ministros. Parumque etiam honori Serapidis prospexit, cum veritus non est tribuere illi *aliquem locum* inter hos deos cubicularios, & servos, ministrosque. Sane Momus rideret deos hosce, qui apud Lucianum in Concilio deorum, ridet *deos pedisseqnos, & famulos*, petitque ab Jove, ut eos a deorum albo expungat, & è Cælo in Tartarum præcipitet. Certe non aliter exauctoratos, & a deorum numero sublatos *deos omnes*, atque adeo & Serapidem, volebat Elagabalus, qui eos vilioribus servitiis mancipaverat, & cubicularios, pedissequos, & famulos dei sui fecerat. Nam *isti dii non erunt*, ut apposite verbis utar Lactantii lib. I. cap. 3. *sed satellites & ministri, quos ille* UNUS *maximus & potens, Elagabalus, omnium officiis bis præfecerit; ut ipsi ejus imperio, ac nutibus serviant*. Si ergo dii non sunt dii famuli, ministri, ac servi; atque inter hos tam abjectos, adeoque ab Elagabalo contemptos deos locum tribuit Serapidi vir doctus, me nescire fateor, cur adhuc eidem Serapidi ab Elagabalo magno cum honore & solemni ritu dicatam statuam affirmare velit.

Nec vero hoc mihi persuasum est, quod ille subjicit, ideo Antoninum Elagabalum statuam Serapidi dicasse quod is naturali significatione acceptus a deo Elagabalo non sit diversus; atque ut ipse a Syris, ita iste ab Ægyptiis & Romanis uti Sol & Jupiter credebatur; quemadmodum vetera monumenta fidem faciunt, quæ JOVI OPTIMO MAXIMO SERAPIDI, & JOVI SOLI INVICTO SERAPIDI inscribuntur. Etenim veteres Theologiam suam in tria genera distinxere, in Mythicam seu fabularem, Physicam, & Civilem, ut tradit S. Augustinus de Civitate Dei lib. V. cap. 27. & lib. VI. cap. 5. & Eusebius Præparationis Evangelicæ lib. IV. in præfatione. De primo nunc nobis sermo non est. At secundum de genere & ortu deorum disputabat; *& propius*, inquit, Eusebius, *ad naturam allegorica fabularum explicatione traductum erat*; ac physiologicas seu naturales rationes scrutabatur, quibus inter se vel participatione potestatis ac virtutis, vel communione significationis numina conveniebant.

bant. De his idem Eusebius lib. III. antecedente, & plures ex Gentilibus. Tertium genus, inquit Augustinus ex Varrone, *in urbibus cives, maxime Sacerdotes nosse atque administrare debebant. In quo est quos deos publice colere, quæ sacra ac sacrificia facere quemquam* par sit; unde illud ad ceremonias spectare ait Salustius Philosophus de Diis & Mundo c.4. Quamvis ergo Elagabalus a Syris, & ab Ægyptiis Serapis naturali significatione, juxta alterum Theologiæ genus, uti Sol & Jupiter creditus sit; in tertio tamen genere, quod ad cultum deorum pertinet, alius in Ægypto deus erat Serapis, alius Elagabalus in Syria, uti etiam cum Romam eorum religio delata fuit; quia diversis ac distinctis ritibus, ceremoniis, sacrificiis, &, quod propius ad rem attinet, Simulacris & Symbolis unusquisque eorum colebatur. Cum vero statuæ dei alicujus dedicatio ad ritus & ceremonias pertineat, ad tertium videlicet memoratum genus, non potuit Antoninus Serapidem putare unum & eundem deum cum Elagabalo, eique specie communionis divinitatis statuam publico ac solemni ritu dedicare. Multum quippe, & longe diversa erant sacra, quibus Syri, & ipsemet Antoninus, qui ea è Syria in Urbem traduxit, Elagabalum deum celebrabant, a sacris quibus Ægyptii Serapidem. Atque uti Sacris dei sui Antoninus tam perdite erat addictus, ut religionem aliorum deorum omnium ejus caussa despiceret, imo & extinguere vellet, credendum non est; sacris alterius dei se immiscuisse, & Serapidi cultum publicum exhibuisse. Denique si ad communionem inter deos aliquos exprimendam exemplum petitur a recitatis monumentis, uti in iis *Jovi Optimo Maximo*, & *Jovi Soli Invicto* conjunctus est *Serapis*; ita si Antoninus voluisset significare communionem inter deum suum Elagabalum & Serapidem, saxum inscripsisset ELAGABALO SERAPIDI.

Quod porro ducitur argumentum, multa eruditionis copia exornatum, ab exemplo Septimii avi, & Caracallæ patris, qui Serapidem impense coluerunt, nimis alienum ac longe est petitum. At si Elagabalo cordi fuisset religionem avi & pa-

H tris

tris imitari, qui *Pantheum*, diis omnibus sacrum, *vetustate corruptum cum omni cultu restituerunt*, uti adhuc legitur in fronte ejusdem templi, non ille deos ipsos omnes contumeliose deo suo famulari coactos dedecorasset.

Ex his satis patere arbitror, quæ fides atque auctoritas insit Inscriptioni Panvinianæ, in qua statua legitur Serapidi dedicata ab Antonino Elagabalo Idibus Aprilibus. Neque vero id mihi negotium ullum facessit, quod eam Inscriptionem Cl. Vignolius etiam in Codice Vaticano invenerit. Si enim tot argumentis eam vitiatam, aut falsam probatum est; nihil refert ubi illa descripta reperiatur. Multum vero referret, si lapis existeret, vel certi essemus Panvinium, aut Collectorem Vaticanum eam a lapide autographo exscripsisse. Sed neutrum affirmare licet. Porro memini, me a Clarissimo Fabretto audivisse, Collectionem Inscriptionum Vaticanam, quam illam ipsam, quam Vignolius præ manibus habuit, esse arbitror, Inscriptiones quamplures mendosas, corruptas, & falsas etiam continere: quarum una cur hæc esse non poterit?

Quod si falsa, aut corrupta est Inscriptio Panvinii, nihil ea obest programmati S. Hippolyti, & nihil dubitandum remanet, quin Elagabalus die XIII. Aprilis A. C. 222. jam facto functus fuerit, & Alexander ad Imperium evectus, uti in eodem programmate legitur. Et proinde dubitari etiam nequit, illius mortem, ducta ratione ex annis, mensibus, & diebus a Dione consignatis, incidisse in diem decimum vel undecimum Martii anni ejusdem 222.



CAPUT VI.

Maximæ difficultates, quæ occurrunt ad conciliandam Trib. Pot. V. Elagabali cum annis ejus Imperii obsignatam. Auctor ad suam sententiam firmandam scripserat, facile potuisse Librarios Majum pro Martio in textu Xiphilini conjicere;

cere; aut ipsum Xiphilinum mensium nomina per unicam initialem literam scripsisse. Opposita a Vignolio expenduntur. In Spartiano Augustus *pro* Aprili *irrepsit. Verisimile est tam ipsum, quam Xiphilinum eo modo mensium nomina scripsisse. Hoc exemplis probatur. Ostenditur de facto libarios commutasse in textu Xiphilini mensem Martium in Majum. Nec Vignolius, nec Valsechius gesta ab acclamatione Elagabali usque ad diem prælii cum Macrino, ex Herodiano & Dione recte componunt. Ex ipsis probatur majora temporum intervalla sibi deposcere. Hinc acclamatio Elagabali dici debet sequuta die* XVI. *Martii. Quæ opponit Valsechius, cur stare non possint. Aliud argumentum Vignolii diluitur, ex Solis Eclipsi petitum quam memorat Dio accidisse an.* 218. *die* 12. *Aprilis. Quæ idem scripsit referri debent ad alteram Eclipsim diei* VI. *Octobris ejusdem anni. Quæ mala potuerit hæc prænunciare.*

AT non potuit Elagabalus e vivis ereptus fuisse die *undecimo* Martii an.222.quia numismata extant Tribunicia ejus Poteſtate *quinta* insignita. Nam si Imperium ille accepit & Tribuniciam Potestatem die septimo mensis Junii an.218. a prælio cum Macrino, vel die XVI. Maii, cum a militibus acclamatus fuit Imperator, die eodem undecimo Martii anno 222. nondum expleverat Tribuniciam Potestatem quartam, & quintam inchoaverat, quam iidem ejus nummi præseferunt. Nimirum hic ille nodus est, ad quem expediendum tum ego, tum Vignolius, & Valsechius tantis conatibus hactenus insudavimus. In priore Dissertatione ipse quidem sententiam Pagii de anticipatione primum sequutus fueram; deinde in Addendis pag. 193. dixeram, Elagabali Trib. Potestatem inchoandam esse a die XVI. Martii ann. 218. quo die salutatus fuit Imperator a militibus, non vero a die XVI. Maii, ut vulgati Dionis, seu Xiphilini textus produnt: propterea quod ea quæ acta narrantur inter salutationem & pugnam cum Macrino, nequaquam confici potuerint intra illud temporis spatium, quod a die XVI. Maii

ad diem VII. Junii, quo ea pugna commissa fuit, numeratur: atque exinde conjectaveram, ob similitudinem principis literæ utriusque mensis librarios Majum pro Martio in textu Xiphilini conjecisse.

Hæc ego verba de permutatione mensis Martii in Majum scripseram pag. 193. At vir clarissimus, illis prætermissis, alia ex pag. 67. in fronte hujus capitis VI. exposuit; quibus ejus permutationis caussam in Xiphilinum rejeceram, ut qui solam primam litteram M. scripserit, quam librariis placuit potius in Majum, quam in Martium vertere. Itaque rem hanc nullam cum vero affinitatem habere ait, cum nunquam Xiphilinus, ubi illi Menses nominare contingit, per unicam initialem literam mensium nomina scripserit; & certe nostrum nemo menses, eosque maxime qui ab una eademque litera initium ducunt, puta Januarium, Junium, & ceteros, ita compendio scriberet & indicaret. Cur itaque, subdit, Xiphilinum & Spartianum (nam ego exemplum Spartiani cap. de vita Septimii adduxeram, apud quem Augustus mensis pro Aprili suppositus est) ita eos scripsisse & indicasse volumus? Atque ita parum cavisse, ut non viderint literam illam, M. scilicet Xiphilini pro Majo, non minus quam pro Martio, & A. Spartiani tam pro Aprili, quam pro Augusto accipi potuisse? At ego curiosius quærere, & disputare nolo, utrum id factum fuerit a Xiphilino & Spartiano; sed hoc ajo quod olim quoque dixi, fieri id potuisse a librariis, qui Majum pro Martio in Xiphilini textum conjecerint; sicuti revera Augustum pro Aprili in textum Spartiani conjecerunt. Sed Vignolius exemplo huic Spartiani nihil quidem respondet, contentus negare, id a Spartiano ipso commissum fuisse. Dicat ergo, quo factum fuerit modo, ut in Spartianum Augustus pro Aprili irrepserit; nam haud inficiabitur, puto, in ejus textu non esse legendum *Idibus Augusti*, sed utique legendum *Idibus Aprilis*, ut docti omnes consentiunt, & ratio temporum quibus Septimius Carnunti acclamatus fuit Imperator, & inde Romam ad capessendum imperium ingressus est, evidenter ostendit.

Fa-

Fateatur profecto oportet, vel librarios integrum nomen Menſis Aprilis in Auguſtum commutaſſe; vel quod facilius accidere potuit, eosdem primum ſcripſiſſe literam initialem A. pro Aprili, ac deinde alios, qui nomen plenum exprimere voluerunt, eam literam A. in Auguſtum vertiſſe. Quidni igitur factum non potuit eſſe hoc ipſum a librariis in Xiphilino, in cujus textu, ab aliis librariis ante conſcripto, ſolitariam literam M. cum inveniſſent, Majum pro Martio poſuere.

Nec putet vir doctus, rem hactenus nunquam auditam me obtrudere, atque a nemine prius traditam. Conſulat virum doctiſſimum Camillum Peregrinum in Caſtigationibus ad Lupum Protoſpatham, cujus verba ex pag. 92. quamvis longiora, recitare non piget: *Menſem Martium pro Majo ſæpe alias ſuppoſitum, manifeſtum eſt: idque ex ea forte occaſione natum, quod nomina propria cum ſub Normannorum ætate capitalibus tantummodo literis compendiarentur, Martius menſis ſic deſcriptus, pro Majo a recentioribus librariis ſæpenumero eſt acceptus; ſicut in Kalendario antiqui etiam Breviarii Campani, in quo feſtum Sanctæ Potentianæ Virginis perperam notatur ad diem* 19. *Martii, quod colitur* 19. *Maii. Et in percelebri quoque diplomate præfati Comitis Rogerii apud Surium die* 5. *Octobris, in quo habetur, ſtructas in eum, dum in Capuæ manebat obſidione, inſidias Kal. Martii, ubique legendum eſse Kal. Maii, jam olim docti cenſuerunt viri.*

Et primum poſtremis hiſce verbis meis prætermiſſis, hæc alia quæ ſcripſeram ante pag. 67., in fronte hujus capitis præpoſuit: quæ *permutatio non adeo eſt inveriſimilis, ut quia Xiphilinus ſcripſerit ſolam primam literam M, quam librarii placuit potius in Majum, quam in Martium vertere.* Nempe hoc nullam cum vero affinitatem habere ait, cum nunquam Xiphilinus, ubi illi menſes nominare contingit, per unicam initialem literam menſium nomina ſcripſerit: neque hoc etiam Græcis unquam aut Latinis auctoribus in uſu fuerit. Nolo de Xiphilino, aut priſcis auctoribus litem facere, quam ſolam ille intentat: at profecto ſi cauſſam in

co-

eorum exſcriptores refundamus, quos norunt omnes infinitis mendis codices antiquos commaculaſſe, nemo reprehendere poſſit ea verba, quæ ante retuli ex addendis meis, quæque ille ſine cenſura præteriit; potuiſſe nimirum fieri, ut ob ſimilitudinem principis literæ utriusque menſis librarii Majum pro Martio in textum Xiphilini conjecerint. Exemplum attuleram, quo nullum aptius ad rem hanc commonſtrandam eſſe poteſt; quodque latius nunc expono. Refert Spartianus cap. v. de vita Septimii Severi, hunc fuiſſe ſalutatum Imperatorem Carnunti in Germania *Idibus* AUGUSTIS. Neminem fugit ex temporum ſupputatione Julianum Imp. occiſum diem prima Junii A C. 293., & ſtatim Septimium in Urbem ingreſſum Imperium ſuſcepiſſe. Oportuit ergo ante hunc diem Carnunti, unde profectus erat Romam, Septimium appellatum fuiſſe Imperatorem. Quod certe non potuit fieri Auguſto menſe anni ſuperioris, quia tunc vivebat Commodus; neque Auguſto ſubſequente, quo ille jam Romæ aderat. Quare ſalutatio ejusdem facta fuit *Idibus Aprilibus*, uti omnes eruditi conſentiunt. Ergo in textum Spartiani AUGUSTUS irrepſit pro APRILI; ſive quia in Codicibus ſcripta fuerit ſola litera initialis; ſive oſcitatione librariorum *Auguſtus* locum occupaverit *Aprilis*. Quidni igitur etiam in Xiphilino *Majus* pro *Martio* ſupponi potuit? Similia hujus duo alia exempla profero. In Codice Juſtiniani lex 6. de *Collationibus* data legitur a Gordiano Juniore VII. *Kal. Martii* Peregrino & Æmiliano Coſ. hoc eſt anno 244. Pearſonius in Annal. Cyprian. ad annum 249. §. V. & poſt eum Tillemontius annotat. I. in Gordianum, *Majum* pro *Martio* poſitum omnino aſſeverant, ob eas rationes, quæ apud ipſos videri poterunt. Recentius eſt aliud in Mediobarbo pag. 524. ubi ſcribitur Arcadium Imperatorem obiiſſe *Kal. Martii*, pro *Kal. Maii*, quo die Arcadius vere deceſſit. Vide quam facilis ſit duorum horum menſium ob affinitatem literarum permutatio. Sed etiam in illis menſibus, qui nullam inter ſe ſimilitudinem habent, aliquando hoc piſum accidit. In eodem Codice lex II. ejusdem Gordiani,

de

de *curatore furiosi*, data est *Kal. Januarii* Pio & Pontiano Coss. quo die vivebat Maximinus non Gordianus. Quare mensis alius ejusdem anni, quo jam ad Imperium evectus erat Gordianus, pro Januario scribi debuerat. Ita l. 3. *de his qui accusare non possunt*, recitatur sub die III. Non. Febr. Alexandro Aug. Cos., qui Alexander nondum Augustus erat; atque ideo falsus est mensis. Si lapsus librariorum in aliis vocibus quam in mensibus recensere vellemus, plures paginæ essent implendæ. Videndus Cl. Valsechius, qui in postremo opere suo pag. 18. egregia aliquot exempla profert.

Quod vero menses *Martius*, & *Majus* etiam in autographis potuerint exarari prioribus tantum elementis, en tibi illustre exemplum vel in ipsis saxis. Floravantes Martinellus, vir in antiquitatibus Romanis apprime versatus, in libro inscripto, Imago B. Mariæ Virginis apud Moniales S. S. Sixti & Dominici pag. 18. hanc recitat inscriptionem.

ANTONIN....
V. C. PONTIF. ET
DECEMVIR. SA. F
TAUROBOLIO
CONFECTO. III. KAL
MA. FL. ANICIO. ET
NICRINIANO. CON
ARAM. FELICITER
CONSECRAVIT

Inscriptionem hanc se excepisse ait Martinellus ex libro Jacobi Grimaldi, qui eam exscripsit cum aliis compluribus repertis in Vaticana Basilica, cum ea reædificaretur a Paulo V. Pont. Max. Ergo in sexta linea MA. compendium est mensis, qui tum in *Martium*, tum in *Majum* verti potest. Fabrettus domesticarum Inscriptionum pag. 669. *Majum* fecit, præter fidem apographi apud Martinellum, a quo hanc Inscriptionem se duxisse fatetur.

At si fieri potuit, ut librarii ob affinitatem priorum litera-

rarum commutaverint in textu Xiphilini menſem *Martium* in *Majum*, id factum etiam ab eis fuiſſe nunc eſt demonſtrandum. Hoc ab eo pendet, utrum ea quæ geſta ſunt ab acclamatione Elagabali, quæ in vulgatis Xiphilini codicibus accidiſſe narrantur die XVI. Maii, confici potuerint intra tempus, quod excurrit uſque ad diem VII. Junii, quo die prælium cum Macrino peractum fuit, diebus nimirum uno & viginti non computato ipſo die prælii. Hoc ego negaveram in *Addendis* pag. 193. at contra Cl. Vignolius intra pauciores etiam dies fieri potuiſſe contendit. Ejus ergo veſtigiis inſiſtens rerum geſtarum narrationem perſequar; deinde argumenta proponam, quibus videri poſſit probatum, in rebus iis gerendis multo plures quam unum & viginti dies elapſos fuiſſe. Quod ſi evicero, neceſſe erit Elagabalum conſalutatum fuiſſe Imperatorem non die XVI. *Maii* ſed XVI. *Martii*, atque hunc menſem in textum Xiphilini eſſe reſtituendum. Et demum id aſſequar, ut perfacile hac ratione explicatio numiſmatum cum Trib. Poteſtate V. expediri poſſit: quæ totius controverſiæ noſtræ ſumma eſt.

Ita igitur vir doctus res & tempora ex Herodiano & Dione componit. Exercitum, qui prope Emeſam in Phoenicia erat, Antoninum Elagabalum ſalutaſſe Imperatorem, Macrinus Antiochiæ certior eſt factus. Emeſa ex Itinerario millia paſſuum 133. ab Antiochia diſtat; quare, inquit, unius fere diei ſpatio per celerem tabellarium id perferri ad Macrinum potuit. Hiſce auditis Macrinus Julianum cum copiis, quantæ ſuffecturæ videbantur, ad compeſcendos rebelles mittit: quod iter ſeptem diebus peractum fuit. Nam vir Clariſſimus, qui olim iter militare diurnum tanta contentione non amplius quam octo milliaribus æſtimaverat, nunc ſe velle ſententiam meam complecti profeſſus, quinque & viginti milliaria lubens adoptat, & datis duobus diebus ad quietem, iter illud milliarium 133. ſeptem dierum ſpatio definit. Nimirum tempus itineris Elagabali Nicomedia Romam tunc erat illi maxime extrahendum, nunc Juliani hoc, quoad ejus fieri poterat, decurtandum. Altero die, ſequitur auctor,

ctor, post adventum Juliani ad castra Elagabali, milites ejus donis & promissis illecti, caput amputant ipsi Juliano, mittuntque ad Macrinum, & intra castra recipiuntur. Miles qui ad Macrinum Apameæ tunc degentem caput Juliani detulit cursu celeri unius diei spatio illuc pervenerit, cum milliaria quatuor & sexaginta tantum conficienda sibi fuissent. At Elagabalus tanta celeritate, ut ait Xiphilinus, contra Macrinum profectus est, ut in vico quodam Antiochenorum cum eo conflixit, eumque prælio superavit. Quare, inquit Vignolius, cum summa celeritate profectus fuerit, altera die post interitum Juliani eduxisse exercitum contra Macrinum verisimile est. Iter vero istud, quod centum & decem milliaria complectitur, intra dies quinque aut paullo amplius absolvere potuit. Qui dies, concludit ille, cum reliquis in unum collecti dierum sexdecim summam conficiunt.

Haud valde dissimili modo Cl. Valsechius in egregio opere, quod post hæc scripta in lucem edidit, hæc eadem cap. XIII. persequutus quindecim dierum spatium computat, professus inter cetera in re hac distantiam solam rationemque itinerum spectandam esse. Ita uterque omnia illa nulla interposita mora, & cunctatione fuisse suscepta & confecta arbitratur. Quod sane mirum atque incredibile videri posset omnibus, qui norunt, quanta, & quam magna, atque ardua ad bellum, in quo de summa Imperii agebatur, peragendum debuerint esse necessaria. Sed præter hæc, historiæ quoque ipsius veritas ex Herodiano & Dione majora temporum intervalla videtur exposcere. Quod nunc non uno argumento ostendere aggredior.

Et primo, quod Vignolius proposuit, non adsenserim, nuncium defectionis exercitus apud Emesam uno die 133. milliaria confecisse. Non enim satis est caussæ, quamobrem ab exercitu hostili mitti debuerit *tabellarius* qui tanta ac fere incredibili celeritate ea perferret ad Macrinum, quæ potius celari intererat, ut interim firmarentur res ejus & subsidia quærerentur. Demus ergo triduo confectum illud iter fuisse. Deinde verisimile non est, quod Vignolius & Valse-

chius sumunt, Macrinum post acceptum nuncium defectionis extemplo Julianum misisse ad eam compescendam. Herodianus lib. v. cap. 4. hæc narrat: *At Macrinus rem totam quasi puerilem contemnens, consuetamque obtinens animi alacritatem, domi sedens, unum e suis ducibus Julianum Præfectum Prætorio mittit, traditis copiis, quantæ ad rebelles expurgandos viderentur suffecturæ*. Qui cogitaverit Macrinum ita cunctabundum, non curantem, & rem totam veluti puerilem ac ludicram aspernantem, credatne unquam adeo solicitum ac trepidum fuisse, ut ipso die, vel altero post nuncium acceptum dimiserit Julianum? Non ego id antea factum existimo, quam Macrinus exploratoribus missis, atque iteratis nunciis, edoctus, rem serio agi ab Elagabalo, sibique verum imminere periculum, incuriam tandem atque oscitantiam exuerit. Quod certum videtur ex eo etiam, quod post discessum Juliani Apameam venit, ut tradit Dio pag. 902., ibique filium Imperatorem designavit, ac milites donis ac promissis delinivit. Cur non amplius Macrinus rem quasi puerilem contemnit, domique sedet securus, consuetam obtinens alacritatem? Nimirum postquam ab exploratoribus missis certior factus est discriminis sui, tunc veluti a somno experrectus mittit Julianum, Apameam venit, & milites sibi conciliare satagit. Ergo inter primum nuncium defectionis, & discessum Juliani non paucos dies intercessisse necesse est, quantum scilicet temporis novis nunciis atque exploratoribus recipiendis opus erat. Adde quod Macrino erant colligendi milites, qui huc illuc per castella Syriæ erant dispersi, ut paullo ante narraverat Dio pag. 901., & commeatus aliaque necessaria ad profectionem comparanda. Quas ob caussas expeditionem Juliani dilatam octo minimum dies non ambigo. Qui dies octo, duoque alii ultra unum, quem Vignolius dederat tabellario, additi ad summam sexdecim dierum, quos ille collegerat, fiunt dies sex & viginti. Jam ergo consumtis diebus uno & viginti, qui intercurrunt inter diem XVI. Maii & VII. Junii, quinque adhuc supersunt dies.

Sed

Sed his plures aliis dies sunt adjiciendi. Nam primum falli videtur Cl. Vignolius, qui ex celeritate qua Elagabalus perrexit contra Macrinum, arguit ejus profectionem susceptam fuisse altero die post interitum Juliani. Nam Xiphilinus loquitur de celeritate qua iter a castris ad locum pugnæ confectum est, non de subita & continenti post mortem Juliani profectione. *Contra hunc*, inquit, *Pseudantoninus tanta celeritate proficiscitur, ut difficile Macrinus in vico quodam Antiochenorum cum eo conflixerit*. Nec etiam id ex Xiphilino deduci poterat, qui nec verbum quidem de Juliano facit: & quæ de ejus casu habemus, extant in Dionis fragmentis, & apud Herodianum. Non statim igitur ac decessit Julianus, profectus est Elagabalus adversus Macrinum; quod plane evincitur ex Herodiano, qui exposita nece Juliani, & receptione militum Macrini in castra Elagabali, adauctas fuisse ejus copias subdit, *transfugarum etiam magna vi* PAULLATIM QUOTIDIE *se aggregante*. Quæ verba spatium temporis non modicum diesque plures designant.

Præterea Dio pag. 903. narrat Macrinum cognita cæde Juliani Apamea festinanter se contulisse Antiochiam, militesque Albinios ceterosque ab eo defecisse: quæ consonant cum Herodiano. Deinde statim subjicit Dio: *Quapropter jam cum aliis fiebant apparatus utrimque, tum in provincias & ad legiones nuncii, literæque mittebantur*. Si post necem Juliani, & reditum Macrini Antiochiam fiebant tum ab illo, tum ab Elagabalo apparatus, necesse est longum temporis spatium defluxisse inter ejusdem Juliani mortem, & profectionem Elagabali, præliumque cum Macrino. Hoc vero longum temporis spatium junctum cum aliis XXVI. diebus, quos jam numeravimus, contineri cum nequeant inter diem XVI. Maii & VII. Junii, reliquum est, ut acclamatio Elagabali dici debeat facta die XVI. Martii.

Persentit Cl. Vallechius vim hujus argumentationis, quam Pagius ad annum 218. num. VIII. & IX. jam attigerat; quare in ea refellenda omnem operam collocavit. Etenim falsum esse ait, eos factos fuisse apparatus post cædem Julia-

ni & Macrini Apamea discessum. Nam etsi Dio post hæc ipsos apparatus, & missos utrinque nuncios & literas recenseat, non ita tamen ea recenset, quasi tum primum fieri coepta sint, sed quæ utrinque jam fiebant: atque ut hoc confirmet, eundem Dionis locum ita ad verbum reddit: *Et hi quidem alia contra parabant, & contra mittebant in populos & in legiones nuncios & literas.* At non ego ex his verbis sic etiam redditis intelligo, cur ordo & series narrationis Dionis sit invertenda; & quod ille tradit factum post cædem Juliani, dici debeat factum ante ipsam: quo maximus gravissimo scriptori antichronismus imponeretur. Addit vir doctus verisimile videri, apparatus illos fieri cœptos ab Elagabalo statim ac salutatus fuit Imperator; a Macrino vero, ubi primum illi eædem acclamationes innotuerunt: nam licet Macrinus initio rem quasi puerilem contemserit; attamen uti post Juliani discessum sibi milites & populum conciliare studuit, ita potuit etiam tunc subsidia alia sibi comparare. Quod spectat ad Elagabalum, quos apparatus ille fecerit statim ab sui acclamatione, docet Herodianus lib. v. cap. 3. in fine. *Tum*, inquit loquens de militibus Elagabali, *commeatu omni simul cum suis natis, & conjugibus, ceterisque adeo rebus importatis, quas in vicis agrisque propinquis habebant, ita se intus comparabant, ut, etiamsi opus foret, castrorum obsidionem reciperent.* Nihil aliud ergo initio studuit Elagabalus, quam ut se ad sustinendam Macrini aggressionem disponeret; neque de castris egredi atque adversus illum proficisci cogitabat. Macrinus autem Apameæ quidem milites & populum continere in officio quæsivit; Sed sibi satis esse virium ad compescendam seditionem ratus, externa auxilia neglexit. Cum vero Julianum cæsum, partemque exercitus amissam cognovit, tum demum ad alia sibi comparanda subsidia animum adjecit, & missis nunciis ac literis provincias & legiones solicitavit. Si quis porro perpenderit, quæ Dio narrat accidisse post literas & nuncios utrinque missos, quæ ego, ne longior sim, prætermitto, facile intelliget, quodnam temporis spatium res tantæ ac variæ sibi postulaverint.

Postre-

Postremum argumentum illudque inter alia minime negligendum, hoc est. Refert Dio, ut ante memini, Macrinum audita cæde Juliani Antiochiam rediisse, *atque ita*, subdit, *tum milites Albini, & ceteri, qui locis iis* HIBERNABANT, *ab eo defecerunt*. Tunc ergo ea anni tempestas esse debuit, qua milites adhuc in hibernis manebant. At milites hibernis expletis, si quietæ res essent, & bellum non immineret, in æstiva proficiscebantur. Nam castra hiberna ab æstivis diversa erant cum re tum appellatione. Suetonius de Druso Claudii Imperatoris in hujus vita cap. I. *supremum*, inquit, *diem morbo obiit in castris* AESTIVIS. Verum Dio lib. LV. sub initium de eadem Drusi morte loquens, scribit, ejus corpus fuisse a Centurionibus & Tribunis delatum *usque ad hiberna:* nempe ab æstivis, in quibus ex Suetonio decesserat, ad castra quæ hieme superiore tenuerant. Alia hinc fuisse castra hiberna apparet, alia æstiva. Ad hæc vero deducebatur exercitus cum pax esset & quies. Livius lib. VII. c. 39. *Consul*, inquit, *educto in* AESTIVA *milite*, *dum quietos Samnites habebat*, *exercitum purgare missionibus instituit*. Et paullo post: *Quidam in commeatus mittebantur* . . . . *quia procul ab domo ac rebus suis* HIBERNASSENT. Ab his scilicet hibernis in æstiva deduxerat Consul. Demum Valerianus Imper. apertius distinxit in ea Epistola, quam ad Aurelianum scripsit apud Vopiscum in hujus vita cap. XI. *Tuum*, ait, *est pro virtutibus tuis*, *atque solertia illic* HIEMALIA *&* AESTIVA disponere. Quo igitur tempore cæsus est Julianus, nondum erat æstas, quia Dio scripsisset milites Macrini fuisse in æstivis; dum quietæ res erant ab externo bello. Proinde ejus mors non potuit accidere sub initium Junii, quo ducit calculus cœptus cum viris doctis a die XVI. Maii; quia Junio mense jam inchoata est æstas. Cum ergo Dio tradat in hibernis fuisse milites, cum Julianus interiit, acclamatio Elagabali omnino facta est die XVI. Martii, unde mors ipsius Juliani deducitur ad exordium Aprilis, quo tempore milites esse poterant in hibernis.

Demum Cl. Vignolius falsitatem nostræ opinionis ex eo con-

confirmari ait, quod Dio pag. 901. ſcribat per idem tempus, quo exercitus Phœniciæ a Macrino ſeceſſionem fecit, & Elagabalum Imperatorem ſalutavit, inter alia Solis Eclipſin, tanquam triſte ejus ſeditionis nuncium accidiſſe: *At mihi*, inquit Dio, *ſane videtur, ſi quid aliud unquam, hoc quoque denunciatum fuiſſe ſignis evidentiſſimis. Nam & Solis defectus iis diebus inſignis accidit*. Cum vero, ſubdit Vignolius ex tabulis Aſtronomicis ad meridianum Romæ initis conſtet ſolem defeciſſe eo anno 218. die duodecima Aprilis, hora quinta cum ſcrupulis 42. poſt meridiem; abunde certum ſit, milites non menſe Martio, ſed Majo rebellaſſe, quia hæc Eclipſis non Martium proxime anteceſſit, ſed Majum. Fatetur tamen Eclipſin ipſam toti Europæ non fuiſſe conſpicuam; adeo ut a Dione, qui tunc Pergami agebat, conſpici non potuerit. Quare alio ſe vertit, & ſufficere ait, illam ab ejus temporis mathematicis indicatam; unde patere Dioni potuit vere contigiſſe, ac luminarium ſaltem contactum in aliqua orbis Romani parte ſpectatum eſſe. At fruſtra eſt hujuſmodi perfugium; nam mathematici indicaſſent etiam Dioni, nulla mala & calamitates portendere poſſe Imperio Romano illam Eclipſin, quæ videri non poterat; quod ſcirent ex eorum principe Ptolemæo in Quadripartito, ſeu de Judiciis lib. II. cap. 5. in fine, eventus tantum ad eas regiones pertinere, in quibus deliquium ſupra terram apparuerit. Minimus autem contactus in nulla ab Aſtronomis ratione habetur. Proinde ſicuti tunc hæc Eclipſis Imperio Romano nocere non potuit; ita nunc nobis atque opinioni noſtræ nihil admodum nocet.

Dio itaque de hac Eclipſi, quam non vidit, quamque ideo ſciebat nihil mali portendere poſſe, loquutus non eſt; ſed utique de altera quam ipſemet Vignolius teſtatur accidiſſe eodem anno die ſexta Octobris horis duabus ante meridiem. Cum enim illa quam memorat Dio, *inſignis* ab eo vocetur, uti nequaquam aptari poteſt Eclipſi diei 12. Aprilis, quæ nulla fuit, quia non conſpicua; ſic mirifice congruit huic ſecundæ diei ſextæ Octobris, in qua, ut tradit vir doctus, Sol

toto

toto fere lumine suo caruit. Præterea *gravem perturbationem* sibi attulisse ait Dio signa evidentissima, quæ refert in verbis mox recitandis, inter quæ signa recenset etiam defectum Solis. Non illa igitur Eclipsis diei 12. Aprilis ea est, de qua loquitur Dio, quia ab ea perturbari non potuit, quam non vidit; sed altera diei sextæ Octobris, a qua maxime perturbari potuit, quia totum fere lumen Solis abstulit. Nihil vero obstat, si dicatur hoc deliquium portendere non potuisse secessionem exercitus Macrini, & acclamationem Elagabali; propterea quod postea mense Octobri celebratum fuit. Nam neque hos solos casus denunciatos fuisse, neque ab Eclipsi sola, perspicue tradit Dio. Narrat ille primum, Syriacos milites mutuis armis concidisse; loco movisse Imperatorem suum Macrinum, & alium talem substituisse, quo rerum potiente nihil non scelerate turpiterque gestum fuit. Statim vero subjicit: *Ac mihi sane videtur, si quid aliud unquam, hoc quoque denunciatum fuisse signis evidentissimis*; nimirum signa hæc non solum denunciarunt casum Macrini, & acclamationem Elagabali; verum etiam totum ipsius Elagabali nefandum Imperium. *Nam*, sequitur Dio, *& Solis defectus iis diebus insignis accidit, & Sidus comatum diu conspectum fuit, aliudque Sidus quoddam ab occidente versus ortum multis noctibus caudam porrigens, adeo gravem nobis perturbationem attulit, ut illud Homeri semper in ore haberemus:*

Jupiter intonuit, Clangor cælum occupat ingens.

Hæc igitur signa omnia si congrue distribuantur, quædam eorum accidere potuerunt per idem tempus, quo facta fuit acclamatio Elagabali, & prælium cum Macrino, & mala hæc denunciare; at Solis defectus, qui postea mense Octobri commissus est, portendere potuit pessimum Elagabali Imperium, sub quo nihil non scelerate turpiterque gestum fuit. Quod vero ait Solis defectum *iis diebus* accidisse, præterquamquod latiori significatione ad longum temporis spatium extendi potest, reliqua etiam signa, quæ non simul & uno eodemque tem-

tempore evenisse credibile est, comprehendit. Denique cum duos solis defectus intra paucos menses habeamus, unum Dioni non visum, alterum visum; nemo hoc sibi persuaserit ab eo potius non visum, quam visum memoratum fuisse. Sed redeundum est ad Cl. Valsechium, qui plura adhuc & gravissima mihi opponit, tum in eodem capite XIII. tum toto sequente XIV. quæ sepositis interim Cl. Vignolii rebus, peculiari capite sunt expedienda.



CAPUT VII.

Sententiæ de initio Imperii Elagabali auctoritate Græcorum Scriptorum firmatæ, opponitur. Verbum græcum διαγίνομαι quid significet. Auctoritas Nicephori Callisti, ubi scribit Macrinum neque ad annum perseverasse, *iterum ab Auctore asseritur, & explicatur. Nummi Ægyptii Anniæ Faustinæ & Aquiliæ Severæ L. E.* anno quinto *Imperii Elagabali obsignati; item Galbæ, Hadriani, L. Veri, & Otaciliæ interpretati a Valsechio. Rejicitur. Prior explicatio defenditur, & obfirmatur. Eorundem Augustorum initia in hisce nummis, deducta non sunt more Romano a die* natali Imperii. *Aliæ oppositæ difficultates perpenduntur, & rejiciuntur. Allati nummi Ægyptii carent vitiis, quæ inveniuntur in nummis Nervæ & Volusiani. Hinc iterum falsum Ægyptios numerasse annos Principum a die eorum inaugurationis. Nulla ratio facilior ad hos nummos explicandos est ea, quam Pagius & Auctor deduxerant ex Canone Ptolemæi. Quæ contra disputat Valsechius expenduntur, & improbantur. Non est incredibile Ægyptios Astronomos eundem morem signandi annos Principum, etiam ad popularem usum traduxisse. Pagius defenditur. Hinc recte ex sententia Auctoris explicantur nummi Ægyptiaci Anniæ Faustinæ & Aquiliæ Severæ inscripti anno V. Imperii Elagabali. Item Conjugia earum Augustarum rite fuerunt disposita. Proinde nihil obstant objecta sententiæ de*

cæpto

cœpto Elagabali Imperio ex ante diem XVI. *Martii an.*218. *Explicatio numismatum ejusdem Imperatoris cum TR. P. V. magis fulcitur.*

UT oſtenderem, cœptum Imperium Elagabali a die XVI. Martii an. 218. Auctores Græcos in *Addendis* pag. 194. advocaveram, qui quatuor annos eum regnaſſe tradiderunt. Cl. Valſechius annos hos eſſe plenos & integros, quos paſſim uſurpant Scriptores Græci in numerandis annis Principum, contendit: de quo haud valde diſputo. Solidius illud videtur, quod ſubdidi, Nicephorum Calliſtum lib. V. hiſtor. Eccleſ. cap. 17. ſcripſiſſe, Macrinum *cum* NEQUE AD ANNUM perſeveraſſet, ὃς οὐδ' ἐπ' ἐνιαυτὸν διαγεγονὼς, alteri Antonino Imperium reliquiſſe. Cum autem Macrinus Imperium acceperit die undecima menſis Aprilis ann. 217. *ſi neque ad annum* perduravit, regnum ejus fuit numeratum uſque ad acclamationem Elagabali factam die XVI. Martii ann. 218. Quod opponit primo Cl. Vir, non valde nocet, quamvis enim verbum græcum διαγίνομαι, a quo eſt διαγεγονὼς, quo uſus eſt Nicephorus, aliquando ſignificet, *perſevero in vita*, aliquando etiam denotat tantum, *perſevero*, *duro*; ut docent Lexicographi, ad quos provocat Valſechius. Deinde quærit, undenam Nicephorus acceperit, Macrinum *neque ad annum* regnaſſe; cum nemo ex veteribus Scriptoribus id tradiderit? Ego hoc haud ſcio: ſed ſcio equidem, compluribus antiquis Scriptoribus nos carere, a quibus id accepiſſe potuit Nicephorus. Demum confert hunc locum Nicephori, in quo Macrinum *neque ad annum* perduraſse ſcribit, cum altero in libro eodem V. cap. 25. ubi omiſſa illa particula οὐδὲ *neque*, hæc verba habet: *Hic vero cum* AD ANNUM VIXISSET τούτου δ' ἐπ' ἐνιαυτὸν διαγενομένου, *alius Antoninus qui Heliogabalus vocatus eſt*, *Romanorum Imperium ſuſcepit*. Fatetur autem a librariis facilius potuiſſe omitti in hoc ſecundo loco particulam οὐδὲ, *neque*, quam fuiſſe adjectam in primo. Quam ingenuam ejus confeſſionem uti libenter amplectimur, non ita admittimus quod ſtatim ſubdit, primum tamen omnino

K con-

contigisse, videlicet, fuisse eam particulam additam a librariis in primo loco Nicephori. Hoc ex eo probari posse putat, quod Nicephorus ut plurimum sequutus est Eusebium, qui unum annum Macrino tribuit. At quamvis Nicephorus *ut plurimum*, quod ipse etiam vidit, Eusebio addictus sit, non tamen in annis Imperatorum computandis illi semper adhæret. Exemplo sit Tiberius cui Nicephorus duos & viginti annos cum dimidio, Eusebius autem duos circiter & viginti consignat; ac Titus, quem ille regnasse scribit annos duos, hic annos duos totidemque menses. Quis vero non etiam in Macrino Nicephorum discessisse ab Eusebio pignore oblato spondere vellet? De Librariis autem, quod vir doctus fassus est, dubitari nequit, quin facilius vocem aliquam omittant, quam sponte sua addant: illud enim oscitationis, hoc maximæ est audaciæ. Ceterum ut librarios a mendi suspicione, & Nicephorum ab inconstantiæ culpa liberemus, non alienum fortassis a veritate erit, si in primo loco dixerimus Nicephorum loquutum fuisse de solo Imperio Macrini, quod computatum usque ad acclamationem Elagabali *neque ad annum* perduravit; in secundo de vita simul cum Imperio, in qua *ad annum* perseveraverit.

Sed maximus ille obex est amovendus, quem Cl. Valsechius in fine ejusdem cap. XIII. tantum ostendit; in sequente autem ingenti eruditionis ac doctrinæ apparatu latissime diffundit. Cum ego, ut in superioribus dictum est, in prima dissertatione mortem Elagabali adscripserim diei decimæ Mensis Martii anni 222. in quo a Cl. Viro non dissentio; ac in *Addendis* Tribuniciam Potestatem V. instaurandam die XVI. ejusdem Mensis proposuerim; ait ille, licet quoquo modo per hanc conjecturam explicari possint nummi Elagabali eadem Pot. Tribunicia V. inscripti, nullo tamen modo explicari posse nummos Ægyptios Anniæ Faustinæ & Aquiliæ Severæ L. E. *anno quinto* Imperii ipsius Elagabali obsignatos.

Refert Xiphilinus ex Dione Elagabalum primo duxisse in matrimonium Corneliam Paullam, & hac repudiata, junxisse

xisse sibi Aquiliam Severam, deinde tertiam, quæ fuit Annia Faustina, & post eam aliam & aliam, & demum iterum ad Aquiliam rediisse. Recitatis verbis Xiphilini, doctus vir accurate exponit modum, quo ego in priore dissertatione hæc matrimonia collocaveram. Siquidem me amplexum fuisse, ait, opinionem eorum, qui docuere Alexandrinos annos Imperatorum non a die natali eorum Imperii, ut Romanis mos erat, sed a Neomenia Thoth fixi, hoc est a die XXIX. Augusti, numerasse: ita nimirum ut si quis ante eam diem salutatus fuisset Imperator, nummi ei percussi fuerint cum anno primo usque ad dictam diem XXIX. Augusti; exinde vero cum anno secundo, & sic de aliis. Hac ratione cum Pagio ad an. *69.* num. III. me explicasse, subdit, nummos Galbæ Hadriani, L. Veri, & Otaciliæ, de quibus postea; atque juxta hanc doctrinam explicasse etiam, quod ad præsentem rem attinet, annum V. Elagabali in nummis Anniæ Faustinæ & Aquiliæ Severæ notatum, atque alia conjugia post ipsum annum V. jam initum celebrata.

Ut vero hanc Pagii, & nostram opinionem refellat, hoc præcipuum sibi sumit, tanquam verum atque indubitatum fundamentum, Ægyptios numerasse annos Principum a die eorum Imperii natali, non secus ac Romani numerabant: atque hac ipsa ratione computatos esse annos Imperatorum cum in nummis indicatis Galbæ, Hadriani, L. Veri, atque Otaciliæ, tum etiam in nummis Anniæ Faustinæ & Severæ. Proinde cum sint nummi harum Augustarum V. Imperii Elagabali anno insigniti, revocari amplius in dubium non posse ait, quin Elagabalus *quintum* annum Imperii revera inierit, ac post eum initum Anniam Faustinam repudiaverit, duo alia matrimonia contraxerit, ac demum ad Aquiliam redierit. Hæc vero, subjicit, nullo modo explicari queunt secundum meam opinionem: nam si Elagabalus decessit ante initam die XVI. Martii Trib. Potestatem V. nullus remanet locus, quo collocari possint duo illa matrimonia post repudium Faustinæ contracta, ac postremum cum Aquilia Se-

vera; quæ, ut nummi illi Ægyptiaci oſtendunt, celebrata ſunt poſt inchoatum quintum Imperii annum.

Recte hæc quidem, ſi ſolidum eſſet ac firmum primum illud fundamentum, quo ea innituntur, in nummis ſcilicet Ægyptiacis, quos retulimus, annos numeratos eſſe more Romano a *die* eorum Principum *natali*, quibus nummi ſunt percuſſi. Sed cum hoc nec verum ſit, nec probatum, nummis ipſis manifeſte repugnantibus, & viri docti objectiones corruunt, & noſtra opinio magis magiſque obfirmatur. Sæpius ille dixit, in nummis Ægyptiis Anniæ Fauſtinæ, & Aquiliæ Severæ, de quibus eſt quæſtio, notatos eſſe annos Imperii Elagabali; ac proinde anni quoque ſignati in nummis Auguſtorum, quos ante memoravi, erunt anni eorundem Imperii. Hi vero nummi ſex ſunt Galbæ cum nota L. B. *anno ſecundo* ejus Imperii, quinque Hadriani cum L. KB. anno XXII. unus L. Veri cum ΔΕΚΑΤΟΥ. *anno decimo*, & alter Otaciliæ uxoris Philippi cum L. Z. *anno ſeptimo*: quos retuli & explicavi in priore diſſertatione Cap. III. Nihil eſt certius, quam neminem ex his Auguſtis attigiſſe eum annum, qui in iisdem nummis notatur: hocque Cl. Valſechius non negat. Nihil proinde eſse certius poteſt, quam eorumdem Auguſtorum initia non eſse deducta a die eorum inaugurationis, ſeu a *natali Imperii*.

Hoc tamen nihil referre ait vir doctus; nam hæc eſt ipſamet difficultas quæ ex ipſis nummis proficiſcitur; quæque reperitur etiam in aliquot Latinis & Græcis, qui tamen eo modo quo nos explicamus Ægyptios, expediri nequeunt. Quare, poſtea ſubjicit, ut Romani annos Imperatorum a *die Imperii* eorum *natali* certo numerabant; idem quoque de Ægyptiis dicendum, donec ratio aliqua quæ contrarium ſuadeat producatur. Ego vero rationem quæ contrarium ſuadeat, imo evincat, in promptu habeo; & nummi ipſi Ægyptiaci eam perſpicuis notis impreſsam unicuique ob oculos ponunt. Galba inchoavit Imperium vel in Hiſpania die 2. Aprilis A. C. 68. cum ſalutatus fuit Imperator a militibus, vel die nona Julii poſt exceſsum Neronis, obiit vero die 15.

Janua-

Januarii anni insequentis *69*. Annus primus cœptus ab acclamatione desinebat secundum Romanorum morem, & inibat secundus die 2. Aprilis ann. *69*. duobus mensibus cum dimidio post necem Galbæ. Cum ergo Ægyptii notaverint in nummis annum secundum, non computarunt Imperium Galbæ more Romano a die ejus natali. Hoc ipsum fit in ceteris nummis Hadriani, L. Veri, & Otaciliæ, ut exposui in eodem cap. III. Verum ajebat Valsechius, hæc ipsa ea est difficultas, quæ ex ipsis nummis proficiscitur. Imo nulla adest difficultas; & nihil clarius & luculentius esse potest, quam in hisce nummis annos Principum non esse deductos, ut mos erat Romanis, a die eorum *Imperii natali*. At subdit ille, nummos habemus Nervæ cum TR. P. III. & Volusiani cum TR. P. IIII. in quibus pariter plures anni notantur, quam Imperatores illi regnaverint; nec tamen inferri licet, ipsos annos more nostro Ægyptiaco fuisse numeratos. Rem hanc non solicitabo, contentus responsione Pagii, qui ad ann. 103. num. VII. nummos hos, atque alios Latinos, in quibus anni Tribuniciæ Potestatis annos Imperii excedunt, aut mendose descriptos esse, aut a monetariis in iis cudendis erratum, aut annos unius Imperatoris alteri attributos. Nemo ullum ex his vitiis, nec ipse Cl. Valsechius, nostris Ægyptiacis nummis affixerit; cum tot sint numero, & tam certæ ac legitimæ notæ. De Græcis consulendus idem Pagius eodem loco; dummodo cum his non confundantur Ægyptiaci, ut fecit V. C. qua de re postea.

Verum igitur non est, nec probatum, quod nobis toties inculcat Cl. Valsechius, Ægyptios numerasse in nummis suis annos Principum eadem ratione ac numerabant Romani, a *die* eorum *inaugurationis*. Quapropter alio modo sunt explicandi ac numerandi anni Principum in nummis Ægyptiacis obsignati. Nullus vero modus facilior ac magis obvius occurrit, quam qui a Pagio allatus est, atque a nobis paullo ante, uberius vero in priore dissertatione explicatus.

Porro hanc rationem ac modum computandi annos Principum in nummis Ægyptiacis idem Pagius ad ann. *69*. nu-

mer.

mer. III. deduxerat ex Canone Ptolemæi, in quo anni Regum non a *vero die* eorum *natali*, ſed a Thoth vago numerantur. Ut hoc ejus argumentum refellat, Cl. Valſechius longiore ac doctiſſima diſputatione primum oſtendit, Canonem illum pro uſibus Aſtronomicis fuiſſe concinnatum, atque ut numerandi annos Principum ratio ubique conſtans ac certa eſſet, debuiſſe annos omnes ab uno eodemque exordio procedere. Deinde poſtquam docuit eundem modum ſervaſſe Ptolemæum etiam in Almageſto, extricatisque ſummo labore atque accuratione graviſſimis difficultatibus, quæ in annis Hadriani occurrunt, tandem concludit, Ptolemæi atque aliorum Aſtronomorum rationem putandi annos Principum a Thoth vago eorum *inaugurationem* antecedente, non eſſe trahendam ad popularem Alexandrinorum annos Principum numerandi, aut in nummis ſignandi rationem. At quacunque ex cauſſa a Ptolemæo atque ab aliis Aſtronomis hoc factum fuerit, quandoquidem ita factum fuit, non videtur incredibile, Alexandrinos, apud quos Aſtronomi illi morem hunc induxerant, eundem morem ad populares uſus traduxiſſe. Si enim indubitatum ex jam dictis eſt, annos Principum in nummis Ægyptiacis non eſſe numeratos ſecundum Romanorum conſuetudinem ab eorundem Principum natali die, utique ab alio cardine numerati ſunt. Quod ſi habemus hunc cardinem apud Aſtronomos fuiſſe Thoth vagum, quid vetat ſuſpicari, hunc ipſum etiam in uſu civili fuiſſe Thoth fixum, ſeu diem XXIX. Auguſti, a quo ratio numerandi annos Principum in moneta fuerit deducta? Nihil vero refert, ſi dicamus, cœptos fuiſſe annos eosdem ſive a Thoth fixo antecedente, ſive annum primum appellatum fuiſſe ſpatium illud temporis, quod intercedit inter diem inaugurationis eorundem Principum & diem XXIX. Auguſti, & ſecundum annum ab hac die inchoatum, & ſic de aliis; uti ex ſententia Pagii in priore diſſertatione firmavimus: utrumque enim in idem redit.

Poterat vero prætermitti, non uno in loco Pagium opinionem hanc ſuam abdicaſſe. Nam in priore loco, qui objicitur,

tur, Pagius aperte loquitur de nummis tantummodo Græcis, & Valſechius ſua ſponte, eoque invito, iisdem accenſet Ægyptios. In ſecundo, explicat quidem nummos Hadriani alio modo, qui tunc obvius illi erat, ſed priorem non repudiat. In tertio & quarto, non opus erat adhibere modum Ægyptiacum; propterea quod anni expreſſi in nummis ejusdem Hadriani & Maximini non excedunt annos eorum Imperii. Demum quis credat, doctiſſimum Chronologum, qui ad annum *69.* hanc opinionem, uti *jure* ac *merito* ab aliis propoſitam, conſulto ſuam facit & defendit, eam poſtea adeo leviter atque inconſtanter deſeruiſse? quæ opinio ſi nihilominus Cl. Viro displicet, proferat ille, qui adeo in Chronologicis Ægyptiorum doctrinis verſatus eſt, aptiorem ac meliorem explicandi hos nummos rationem; dummodo Romanam illam toties exploſam nobis iterum non obtrudat.

Jam vero, dum potiora expectamus, non veremur explicare nummos Ægyptiacos Anniæ Fauſtinæ & Aquiliæ Severæ inſcriptos anno V. Imperii Elagabali, eo modo quo in priore diſsertatione cap. III. factum eſt; & earum conjugia ita aptiſſime diſponere, ut ſi Elagabalus conſalutatus fuit Imperator die XVI. Martii A. C. 218., quemadmodum in ſuperioribus dictum eſt, annus ejus primus ſecundum morem Ægyptiorum deſierit die XXIX. Auguſti ejusdem anni, & quintus cœperit eodem die anni 221.; a quo tempore, cum deinde Elagabalus vixiſset uſque ad menſem Martium anni 222., recte potuit intra id ſex menſium ſpatium Anniam Fauſtinam dimittere, duas alias uxores ſibi adſciſcere, & demum ad Aquiliam Severam redire. Ita collocatis hiſce Matrimoniis, non obſtant amplius objectiones Cl. Valſechii, & ſententia noſtra de cœpto Elagabali Imperio ex ante diem XVI. Martii ann. 218. undequaque ſolidis atque idoneis conjecturis obfirmata, explicationem numismatum Elagabali cum TR. P. V. ab omnibus incommodis vindicatam tutiſſimo in loco ponit. Nunc Valſechio expedito ad Vignolium redeamus.

CA-

CAPUT VIII.

Nummos Elagabali TR. P. V. quando potuerint signari; & in commercium transire. Ratio, qua negat Vignolius extare nummos, qui anni notam præseferant, quem Imperator, cujus est nummus, non attigit, contra ipsum probat. Hanc deducit ex nummis Septimii Severi. Nec Pagii sententia probatur. Nuncii mortis Severi potuerunt Romam pervenire ante ingressum ejusdem Trib. Potestatis XIX. *In viis publicis Rom. Imperii ubique aderant Cursores. Cur cum Pagio affirmet,* sero *Senatum cognovisse mortem Severi. Aliud argumentum de Vespasiano nihil probat. Exempla Domitiani & Antonini Pii incerta. Falsum est in nummis horum Imperatorum nullum spectari Sacrificium, aut Processum Consularem, sicuti in omnibus nummis Elagabali TR. P. V. inscriptis. Caussa declaratur. Quinquennalia Processu & Sacrificiis agi consueverunt ipso fatente Vignolio. Hinc non alio die quam* XVI. *Martii ann.* 222. *fuerunt percussi illi nummi Elagabali. Ejus acclamatio retrocedendo redit in diem* XVI. *Martii ann.* 218., *ut & initium Trib. Pot. & Imperii. Et hinc nulla facilior ratio explicandi nummos eosdem TRIB. P. V. insignitos.*

SI verum est, quemadmodum verum esse posse satis dixi capite superiore, Phœniciæ milites die XVI. Martii anni Chr. 218. Elagabalum Imperatorem salutasse, illumque eodem mense ann. 222. trucidatum fuisse, ut ex annis ejus Imperii a Dione consignatis cum in prima, tum in hac Dissertatione collegi; nummos qui annum quintum, seu Tribuniciam ejus Potestatem quintam præseferunt paucis diebus antequam illam iniret, percussos esse, ut die ipsius natali XVI. Martii spargerentur in populum, quamquam Vignolius initio hujus capitis negat, futurum tamen aliquem qui non negaverit, fatetur. Neminem autem fore putat, qui

qui hoc admiserit, eodem Elagabalo mortuo hanc monetam cum anno, ad quem non pervenerat, signatam, Magistratus Romanos, ut ex officinis prodiret in publicum maxime ob commune in eum odium, permisisse. At qui concesserit, quod ab omnibus concessum iri non dubito, potuisse signari nummos Elagabali cum Trib. Potestate V. paucis ante diebus quam eam initurus erat, nisi morte fuisset præpeditus; nescio, cur ille ipse concessurus non sit, data etiam qua velis diligentia Romanorum Magistratuum in supprimendis ejus nummis, potuisse aliquos saltem ex ipsis nummis eorundem industriam effugere, & in commercium hominum transire. At si credibile non est, Magistratus propter odium in Elagabalum non permisisse nummos educi, falsa est Inscriptio Serapidis, de qua ante loquuti sumus; quia ob eandem caussam minus credibile est, eosdem Magistratus ab ea non erasisse nefariam Elagabali memoriam, & nomen. Quod vero mali hoc est, ut in publicum prodeant etiam pessimi Imperatoris numismata?

At V. C. cum negat extare nummos, qui anni notam præseferant, quem Imperator cujus est nummus, non attigit, exemplo ipso, quod ultro exhibet, atque ego jam proferre paraveram, sese conficit. Nam nummos Septimii Severi, quos ei, die IV. Februarii Trib. Potestate XVIII. decurrente jam in Britannia defuncto, Senatus Romanus Trib. Potestate XIX. inscripsit, nequicquam excusare nititur, propterea quod Senatus ipse *sero* de illius morte certior factus fuerat; nempe postquam cœpta jam esset eadem Trib. Potestas XIX., & primis post eam initam diebus nummi ipsi scalpti fuissent cum ejusdem anni charactere, ut paullo postea declarat. Præiverat huic opinioni Pagius ad ann. 211., monetariis ignorationem excessus Septimii tribuens: ita ut nummos hos percusserint, postquam novæ illius Potestatis dies advenisset. Vellem, docuisset nos Cl. Vignolius, qua de caussa tam *sero* Senatus Romanus obitum Septimii perceperit: nam me plane ea fugit. Non enim verum esse potest, quod ait Pagius, Severi mortem aliquandiu

celatam fuisse; quia non solum, ut ipsemet fatetur, nullus Historicus id tradidit, sed etiam Herodianus & Dio aperte repugnant. Primus lib. III. cap. 15. narrat, Caracallam mortuo Severo patre summam potestatem nactum, *confestim* multos occidisse: alter pag. 868. corpus ejus militari more elatum a militibus fuisse impositum rogo. Romam vero nuncios extemplo convolasse, quis potest ambigere?

Sed neque Senatus ideo cognovit *sero* interitum Septimii, quod nuncii non potuerint Romam pervenire ante ingressum Trib. Potestatis XIX. Nam a die IV. Februarii ad diem XIII. Aprilis, a quo die post Pagium Clarissimus vir in diagrammate imperatorum pag. 84. deducit Trib. Potestatem Severi, cum ceteroquin alii eam exordiantur a Kalendis, vel a die altera Junii, intercedunt menses duo, & dies octo. Porro quamvis sit nostro divisa Britannia mundo, non illa tamen ultra Sauromatas, & Oceanum glacialem sita est, ut ignorare possimus, quanto locorum intervallo, & quot dierum itinere disjuncta sit ab Urbe. Tabellarius ille, qui Emesa Antiochiam uno die 133. milliaria emensus est, facile decem diebus Romam attigisset. Singulis hebdomadis legimus literas novarum rerum, quæ Londino Venetias viginti plus minus diebus deportantur, inde vero Romam quatuor æstate, quinque hiberno tempore dies Tabellarii insumunt. Certe Romanis magis intererat Imperatoris sui obitus certiores fieri, quam nobis Reginæ Britanniæ, cujus mortem intra idem temporis intervallum ante paucos percepimus menses. Quamvis autem apud veteres non esset statum illud literarum commercium institutum, quo nos hodie commodissimo utimur; attamen in viis publicis Romani Imperii ubique aderant cursores, qui mandata Principum, & cetera pro rerum occurrentium necessitate perferrent. Demus horum cursorum commoditati alterum tantum temporis spatium, quinquaginta videlicet dies, addamusque tres vel quatuor dies usque ad urbem Eboracensem, in qua decessit Septimius, adhuc supersunt quatuordecim dies, antequam inchoata esset Tribunicia Pot. XIX. die XIII. Aprilis mensis.

ſis. Poſſet etiam putari hoc iter in Itinerario Antonini; ſed a labore abſtineo. Quid cauſſæ igitur potuit eſſe, quamobrem docti viri affirmaverint, *ſero* Senatum cognoviſſe mortem Severi, & non ante, imo aliquot diebus poſt cœptam Trib. Poteſtatem XIX.; niſi quia aliter ſe expedire ab hac difficultate non poterant? Ergo certum manet, nummos Septimii cum Tribunicia Poteſtate XIX. percuſſos fuiſſe antea quam illa inchoata eſſet; & propterea hoc idem fieri potuiſſe in nummis Elagabali cum Poteſtate V. dubitari nequit.

Nondum tamen acquieſcit V. C., ſed Veſpaſianum, ait, obiiſse diebus ſex antequam undecimum imperii annum delibare potuiſset; & tamen non inveniri nummos cum ejus Trib. Poteſtate XI. Verum, præterquam quod negativum, uti vocant, argumentum hoc eſt, nos non quærimus de nummis qui non extant; ſed de his qui inter manus antiquariorum ſunt, & qui rem ipſam, quam ille negat, loquuntur. Præterea profert exempla Domitiani, & Antonini Pii, quorum nummos aliquot contendit conflatos eſse ipſis primis diebus, quibus annum novum inchoaverant; quod alter eorum obierit ſex diebus poſtquam nova ejus Pot. Tribunicia iniverat, alter vero decem. Libenter quærerem, quis certo affirmare poſſit, eos nummos conflatos fuiſse *poſt* initam Tribuniciam Poteſtatem, & non *antea?* Alterutrum enim ſi dixerimus, nemo poterit contrarium evincere. Ceterum cum negat in iis ſpectari Sacrificium ullum aut proceſsum Conſularem, qui illos diebus aliquot ante natalem imperii diem ſignatos fuiſse deſignent, quod ego de nummis Elagabali dixeram; videtur non ſatis accurate Theſaurum numiſmatum Mediobarbi perluſtraſse. Nam tres nummos ipſius Antonini Pii ille profert pag. 206. in quibus cum Trib. Poteſtate XXIV. figura viſitur ſacrificans, & alia ſigna ſacrificium repræſentantia.

Hinc illi argumento fit locus; quod in *Addendis* pag. 195. expoſueram, quodque rem totam pene conficit. Omnes Elagabali nummi qui Tribunicia Poteſtate V. ſunt inſcripti;

L 2 in

in parte aversa vel Processum Consularem, vel Sacrificia præseferunt. Caussa certe nulla alia esse potest, quam quia ad solemnitatem aliquam insigniorem pertinebant: quæ solemnitas in hisce temporum articulis sola hæc diei natalis Elagabali esse poterat. Adde, quod etiam Quinquennalia celebranda erant; quod eo die quintum Imperii annum Elagabalus auspicabatur. Quæ profecto Quinquennalia Processu maxime, & Sacrificiis agi consuevisse, nemo est qui ignoret. Non rejicit, imo probat hoc argumentum Cl. Vignolius. Nam de nummis Domitiani, atque Antonini paullo ante memoratis hæc scribit: *In his tamen neque Sacrificium, neque Processus Consularis ullus visitur, qui eos diebus aliquot ante natalem Imperii percussos fuisse designet*: *cujus indices a me observatum subdit, fuisse in nummis Elagabali Sacrificia, & Processus Consulares.* Quod cum referat, & sine ulla objectione dimittat, probari a se manifeste demonstrat. Imo & probavit conceptis verbis mecumque nummum Elagabali a Pagio relatum cum Processu Consulari & Tribunicia Potestate V. spectare ad Processum ipso ejus natali die ineunte eadem Potestate quinta peractum declaravit in scripto ad me misso hoc modo: *ac proinde ad munus aliud post Kal. Januarias anni 222. ab Elagabalo celebratum, ipso forsan Imperii sui, seu Tribuniciæ Potestatis* V. *natali die spectare omnino* TECUM *asserimus.*

Ut denique in unum colligam quæ dicta sunt in hoc capite, atque in duobus antecedentibus, si nummi Elagabali cum Pot. Tribunicia V. ante ejus mortem percussi sunt, ut *proximo die* ejus *natali*, quo instauranda erat eadem Trib. Potestas *quinta*, & *quintus Imperii annus* inchoandus, spargerentur in populum; non is dies ullus alius est, quam *decimus sextus* Martii an. 222. qui *sex* tantum *diebus* ejus obitum antecessit; quique retroactus ad diem eandem XVI. Martii an. 218. redit, quo die acclamatus est Imperator Elagabalus a militibus, & sumtum initium Tribuniciæ Potestatis, & Imperii. Hæc ergo uti perfacilis, ita etiam vera erit & germana ratio explicandi nummos eosdem Trib. Potestate V. insi-

insignitos: qua difficultates, quæ objectæ sunt in hac nostra controversia, simul omnes exhauriuntur. Siquidem stant jam anni, menses, & dies Elagabali, quos Dio Cassius computat a pugna cum Macrino: stat ejus mors collata in diem decimam mensis Martii an. 222. stat inscriptio Canonis Hippolytei, quæ Alexandrum offert jam imperantem die XIII. Aprilis: & stat denique nummus a Vignolio productus cum TR. POT. II. COS. III. qui alteri opinioni nostræ de initio Imperii per anticipationem cœpto a Kal. Januariis maxime obstabat, ut alibi dicetur.

CAPUT IX.

Quæ contra primam Auctoris & Pagii sententiam de anticipato Elagabali Imperio exagerat tanta non sunt, ut propterea nunc ab illa fuisset recedendum. Cur in priore dissert. concesserit Auctor Cl. Valsechio Processum Consularem in nummo Elagabali cum TR. P. V. COS. IIII. non fuisse actum die prima Januarii an. 222. Verba & sensum Lampridii Vignolius non est assequutus. Explicantur. Verbum procedere *plura significat. Lampridius iterum explicatus. Pagius defensus; & argumenta diluuntur contra sententiam de annis Elagabali per anticipationem numeratis. Ex Fastis Vossianis frustra argumentum contra Pagium detorquet. Qua ratione sint explicandi. Omnes Fasti & Canones Græci numerum plenum annorum Elagabali recensent. Pagius defenditur. Auctoritas nummi Carthusiani expenditur; item alterius ex Vaillantio cum TR. P. V. COS. IV. Hi duo nummi, & programma Canonis S. Hippolyti in prima Dissert. fuerunt in concordiam redacti. Hinc perperam auctor tamquam sibi contrarius notatur. Cl. Valsechius frustra immoratur expendendo argumenta de anticipatis annis Imperii Elagabali. Is contra hanc sententiam disputans facilius potest refelli. Perfugium ei nullum.*

Hæc

HÆc si ita sunt, & si hactenus satis est probatum, exordium Imperii Elagabali petendum esse a die XVI. Martii anni 218. quo a militibus consalutatus est Imperator, res videri posset supervacanea de eo initio amplius disputare, quod ipse post Pagium in priore dissertatione cap. V. a Kalendis Januariis ejusdem anni per anticipationem deduxeram. Et quidem hanc opinionem jam tum in *Addendis* dimiseram, vel quia nummus Carthusianus a Cl. Vignolio prolatus eidem obstabat; vel quia altera de cœpto a die XVI. Martii Elagabali Imperio jam tum aptior ad difficultates omnes expediendas esse videbatur. At Cl. Vignolius non contentus eundem nummum opponere, cujus auctoritati jam concesseram, plura etiam adversus eandem opinionem, cum in hoc cap. VIII. tum in IX. XII. & XVII. accumulat. Quæ quamvis a me prætermitti possent, ostendam tamen, ea tanti non esse, ut propterea, nisi aliæ suaderent caussæ, a priore sententia esset mihi discedendum.

Et primum grave illud valde mihi est, in quo me peccasse statim ab initio hujus capitis VIII. contendit. In priore Dissertatione pag. 72. dederam Cl. Valsechio, Processum Consularem in nummo Elagabali cum TR. P. V. COS. IV. non fuisse actum die ipsa prima Januarii mensis A. C. 222. ut Pagius putaverat; propterea quod diserte tradat Lampridius cap. 15. Elagabalum Kalendis Januarii noluisse cum consobrino Alexandro procedere. Hoc tam facile concedi non posse ait vir clarissimus, si Lampridii *verba*, ejusque *orationis sensum* integrum spectemus. Verba ejus hæc sunt: *Denique Kal. Januariis, cum simul tunc designati essent Consules, noluit cum consobrino procedere. Ad extremum cum ei avia & mater dicerent, imminere milites ad ejus exitium, nisi concordiam viderent inter se consobrinorum, sumpta prætexta hora diei sexta* PROCESSIT ad *Senatum*. Igitur, inquit Vignolius, sero quamvis, ac sine collega, processit tamen: atque ideo quadrigas in nummo Elagabali a Senatu Romano exhibitas cum hoc titulo, P. M. TR. P. V. COS.

IIII. recte Pagius ad processum eundem consularem, nempe Kal. Januariis actum, referre poterat. Atqui vereor, ne ille potius *verba*, & *sensum orationis* Lampridii assequutus fuerit. Non enim animadvertit diversum Lampridii loquendi modum, & diversam hujus vocis *procedere* significationem. Cum scripsit de Elagabalo, *noluit cum consobrino* PROCEDERE, processum vere consularem, solemnem, & cum quadrigis designavit: at cum postea subdidit, *sumpta prætexta bora diei sexta* PROCESSIT AD SENATUM, nequaquam de processu eodem Consulari cum quadrigis intellexit. Hoc primum patet, quod Elagabalus *sumpta prætexta* processit: quæ vestis, ut omnes eruditi norunt, non est Consulum solemni pompa in quadrigis procedentium. Id vero notavit consulto Lampridius, ut indicaret, Elagabalum privatim ivisse in Senatum ad capessendum Magistratum. Porro is etiam sensus est hujus verbi *procedere*, cum adjunctum habet locum ad quem procedendum est: tunc enim stat in propria ac naturali sua significatione, idemque valet ac *ire*, & *progredi*. Exemplum unum profero, quod de Consule est. Plinius in Panegyrico c. 65. de Trajano Consule ait: *jam toties* PROCEDERE *in Rostra, inascensumque illum superbiæ Principum locum terere* &c. Laudat Orator Trajanum quod sæpius iret in Rostra, ad quæ non accedebant priores Imperatores. Nimirum *Sæpius ibat in Rostra Trajanus.*

At cum *Processum* Consularem & Solemnem significat, nullo adjuncto effertur. Plura exempla videri poterunt apud Card. Norisium de nummo Diocletiani cap. 5. pag. 26. & 27. ubi, Consul *processit*, Consules *procedentes* &c. Ita etiam loquitur Justinianus Imp. in Novella 105. in qua sæpius fit mentio Processuum. Noluit ergo Elagabalus procedere solemniter in quadrigis; sed aviæ & matris monitu perrexit tamen ad Senatum privatim, ac sine ulla pompa ac solemnitate, & ne sumta quidem veste Consulum ineuntium Magistratum propria. Demum tantum abest, ut in quadrigis processerit, ut *Sella* perductus fuerit ad Senatum una cum avia Mæsa. Hæc habet Lampridius post verba recitata: *bora diei*

sexta

sexta processit ad Senatum avia sua ad Senatum vocata, & ad SELLAM *producta*, imo, ut legit Salmasius, *perducta*, ab ipso nimirum Imperatore. Tandem ita certum est, Elagabalum non processisse more Consulum, ut neque alia fecerit post initum in Senatu Magistratum, quæ solemni ritu fieri a Consulibus erant solita. *Deinde*, prosequitur Lampridius, *in Capitolium ad vota concipienda, & perficienda solemnia ire noluit: omnia per Præfectum urbanum facta sunt, quasi Consules illic non essent.*

Hæc vero Clarissimus Vignolius objectat Pagio, ejusque opinioni de numeratis annis Elagabali per anticipationem. Primum existimat non ideo cum Pagio argui recte posse, Tribun. Potestatem quintam tantum cum quarto Elagabali Consulatu concurrisse, quod nummus ejus, qui TR. P. IV. COS. IV. inscribatur, nondum aliquis apparuerit; contra vero nummos ejusdem Imperatoris TR. P. V. COS. IV. plures habeamus. At mihi certe hujusmodi argumentationem apud Pagium reperire non licuit. Ex nummo Vaillantii cum quadrigis TR. P. V. COS. IV. inscripto arguit quidem Pagius, Elagabalum primo die anni 222. numerasse annum quintum, atque hoc non aliam ob caussam, quam quia Tribuniciam Potestatem per anticipationem capessebat; sed nusquam dicit, ex quo plures nummi extent cum eadem Trib. Potestate V. COS. IV. nullus vero cum Tr. Pot. IV. COS. IV. ideo deduci posse Tribuniciam Potestatem V. tantum cum quarto ejus Consulatu concurrisse. Quamobrem, cum hæc argumentatio Pagii non sit, frustra adversus eam videtur esse instructa ingens illa Tabula Chronologica, quam ab Augusto usque ad Alexandrum per Tribuniciæ Potestatis annos, & Consulatus dispositam a pag. 73. ad 88. vir doctus nobis exhibuit.

Quamquam Kalendis Januariis ann. 218. summa Imperii apud Macrinum erat, dixeram pag. 75. cum Pagio, potuisse tamen Elagabalum ab eodem cardine Tribuniciæ Potestatis, suique Imperii exordia cepisse per anticipationem; quia occupaverat etiam initia Consulatus Macrini, perinde ac, si ante-

antequam esset Imperator, ab iisdem Kalendis annum Consul aperuisset. Opponit Cl. Vignolius in cap. IX. Elagabalum non ideo arripuisse Consulatum Macrini, ut præterita, quæ jam Macrini nomine signata erant, sed reliqua anni tempora non Macrini amplius, sed suo & Adventi nomine signarentur. Verum hoc quidem est; & sane præterita quæ jam sub Consulatu Macrini transierant, Elagabali esse non poterant. Sed neque præterita sub Imperio Macrini, quod fere in idem recidit, sibi Elagabalus adscribere potuit; at potuit certe Imperii sui ac Tribuniciæ Potestatis initia ab eo etiam die, quo nondum erat Imperator, numerare, a Kal. nempe Januariis, sicuti vir Clarissimus pro certo habet, Herodianum numerasse ab iisdem Kalendis annos Imperatorum de quibus scribit, & S. Hippolytum annos Severi Alexandri, qua de re in sequentibus. Ille porro fatetur tandem, potuisse Elagabalum hoc etiam stultitiæ suæ specimen edere, ut præter Senatus Romani morem annos suos non a die suscepti Imperii, sed a Kalendis Januariis repeteret, & paribus Consulatus ac Trib. Potestatis numeris in nummis monumentisque aliis ornatum se esse gestiret. At quando potuisse hoc fieri concedatur, nihil refert, si stulte ac leviter factum sit.

Hæc scripserat Cl. Vignolius in priori Dissertatione pag. 66. *Si Elagabalus a Kal. Januariis ann.* 218. *per ejusmodi anticipationem Tribuniciæ suæ Pot. exordium sumsisset, Kalendis deinde Januariis ann.* 222. *quibus quartum Consulatum iniit, Alexandro Cæsare collega, certe non quartus, sed quintus, quæ Pagii opinio fuit, Imperii illius annus decurrere cœpisset*. At Kal. Januariis an. 222. decurrisse quintum annum Elagabali, falsum esse subdit, ex Fastis Græcis Vossianis, in quorum initio legitur: Ἀντωνῖνος τὸ δʹ καὶ Ἀλέξανδρος, *Antoninus* IV. *&* *Alexander*, scilicet Consules: δʹ, αʹ, IV. & I. hoc est anno quarto Imperii Elagabali, & primo Alexandri. Ex hisce Fastis hoc elici negaveram ego pag. 100. ea ratione quam ibi exposui; sed ita sentiebam, ut *non aliter hi characteres explicari debeant, quam eo anno Consulari alte-*

M *rum*

rum ex Consulibus decessisse, cum quartum Imperii annum ageret, alterum eodem anno exorsum fuisse Imperium. Postquam mea hæc verba retulit V. Clarissimus, ita caput XVII. exorditur: *Recte quidem: neque aliud characteribus istis & a probare ipse volui*, qui pag. *66. a me ita explicati fuisse videntur*. At mihi longe aliter videntur fuisse explicati characteres illi pag. eadem *66*. Probandum tunc sibi proposuerat vir doctus, ut in allatis verbis ex pag. *66*. patet, initio anni 222. non *quintum*, ut Pagius voluit, sed *quartum* Elagabali annum decurrisse; quare in hanc sententiam adduxit Fastos Vossianos, in quorum initio legitur, *anno* IV. *Elagabali*. Hoc porro, quod nunc mecum sentit, Elagabalum videlicet ex Fastis Vossianis obiisse, dum quartum Imperii annum ageret, contra Pagium nihilominus detorquet. Si, inquit, Elagabalus cum quartum Imperii annum ageret, interfectus est, quo unquam modo potuit Pagius affirmare, eundem Elagabalum Kal. Januariis ejusdem anni jam præteritis quintum annum iniisse? Si hæc argumentatio adversus Pagium valeret, valeret quoque adversus Vignolium. Nam si ex Fastis Græcis deducitur, Elagabalum decessisse quarto Imperii sui anno, verum non est, quod V. C. contendit, eundem Augustum cœpisse numerare annum quintum post diem XVI. Maii ann. 222. & propterea falsi sunt nummi omnes, qui ejus Tribuniciam Pot. V. nobis offerunt. Quid igitur? Fasti Græci neque Pagium, neque Vignolium, neque nummos lædunt. Nam, ut alii quoque Fasti, & Canones Græci, ita Fasti Vossiani numerum plenum annorum Elagabali recensent.

Neque ab Julio Africano, qui Seleuco & Grato Consulibus, anno nempe 221. affigit annum tertium Elagabali, contra Pagium petenda erat auctoritas. Ille quippe, qui rerum veritatem, ut historicum decet, persequutus est, ficti & anticipati exordii rationem habere nullam debuit. Uti neque habuit Dio, qui non numeravit annos Elagabali a Kal. Januariis, sed a pugna cum Macrino. Non sic Senatus Ro-

ma-

manus, qui vel metu vel adulatione ingenium Imperatoris sui ac voluntatem in cudendis monetis coactus est sequi.

Ab hisce igitur objectionibus nec mihi, nec Pagio esset timendum; nisi nummus Carthusianus ad res turbandas accederet. Opposueram illi nummum alterum ex Vaillantio, in quo Elagabalus in quadrigis visitur cum Epigraphe: TR. P. V. COS. IV. rixamque inter eos exciveram, de qua in c. VI. prioris operis. At Cl. Vignolius cap. XII. de rixa hac agens, nummum Vaillantii comparandum nequaquam esse cum nummo Carthusiano contendit; quod istius numeri cum TR. P. II. COS. III. interprete non egeant, nummus vero Vaillantii cum quadrigis nequeat ad Processum actum Kal. Jan. anni 222. referri, nisi ego cum Pagio interpres accesserim. Verum hoc quidem: sed addere debebat etiam S. Hippolytum auctoritatis non dubiæ interpretem, ex cujus Canonis programmate evincitur, Processum illum non potuisse celebrari nisi ante mensem Martium ejusdem anni 222. Verum ea rixa in *Addendis* fuerat sublata, & duo illi nummi inter se, & cum S. Hippolyto in concordiam redacti; quod ego in aliam sententiam, de qua ante satis est dictum, descenderam. Propterea poterat V. C. in hanc solam incumbere, & ea verba transmittere, quæ in fine ejusdem c. XII. scribit, se videlicet *adsequi non posse, qua ego ratione ductus modo unius, modo alterius ex Pagii divinationibus, quæ tam manifeste inter se pugnant, adsertor ac propugnator fuerim*. Nimirum si rationem scire cupiebat, se ipsum consulere poterat, qui in hoc opere suo abdicatis prioribus opinionibus non semel in contrarias transgressus est, ut capite insequente, atque alibi apparebit. Quid vero de Cl. Valsechio, qui toto cap. XII. postremi sui Operis adversus hanc Pagii opinionem latissime disputat? Ille quidem ingeniose & docte mea omnia argumenta expendit, quæ si vellem singulatim repellere, longissimus mihi esset contentionis funis texendus, & quidem nullo operæ pretio atque utilitate, cum jam Pagianam hanc sententiam dimiserim. At certe si rem aggrederer, potior mihi esset conditio cum Valsechio, qui nequit opponere num-

mum Carthusianum ; propterea quod solutiones illæ , quas cap. XX. nummo huic accommodat ad tuendam suam opinionem de cœpto Imperio Elagabali ab interitu Caracallæ, etiam Paganæ de initio a Kal. Januariis petito aptari omnino possent. Ad hæc nunquam ille, qui mortem Elagabali ad initia Martii ann. 222. mecum refert, se se ab ea argumentatione extricaverit, quam pag. 73. prioris Dissertationis ab nummo Vaillantii cum TR. P. V. COS. IV. petiveram, in eo si quidem cum Processus Consularis Elagabali repræsentetur, gestum hunc fuisse oportet ante exordium Martii anni 222. Proinde si Processus iste actus est decurrente Tribunicia Pot. quinta, ut nummus idem docet, instaurata illa esse debuit non alia die quam Kalendis Januariis ejusdem anni 222. & inchoata iisdem Kalendis an. 218. quandoquidem initium aliud a nece Caracallæ a docto viro excogitatum, rejectum a me olim ac confutatum est. Ille quidem eodem cap. XII. pag. 121. vim hujus argumentationis agnoscens, non aliam viam evadendi reperire potuit, quam personam illorum induendo, qui mense Martio mortem Elagabali contigisse negant. Quod sane extremum dejecti animi consilium est, cum vincere propriis armis adversarium non possis, ab alio hoste præsidia quærere. Ceterum non negat, ab eo nummo Vaillantii, atque ab aliis TR. P. V. signatis probe concludi, ubi certum sit, uti certum existimat, Elagabalum mense Martio anni 222. excessisse, ejus Imperii ac Trib. Potestatis exordium alio a tempore, quam a die XVI. Maii anni 218. desumendum esse. Cum vero tempus hoc non solum a Kalendis Januariis ejusdem anni peti possit, quod fecit Pagius, verum etiam ab interitu Caracallæ, quod placuit Valsechio, num hoc initium recte a me conclamatum deploratumque fuerit appellatum, tunc erit discutiendum , cum ejus argumentis, quibus illud tueri contendit, satis a nobis fiet.



CAPUT X.

In multis sibi contrarius Vignolius. Chronologiam ab se olim firmatamde morte Elagabali, & Alexandri exordio: item de tempore mortis ejusdem, & Maximini, modo totam subvertit. Caussa detegitur. Herodiani exemplo frustra probare nititur S. Hippolytum usum fuisse in suo Canone anno Civili. Rationes, quibus Alexandri mortem in Septembrem confert, expenduntur. Ejus iter a montibus Armeniæ in Germaniam ex Herodiano non recte disponit. Aliud iter ejusdem Imperatoris ab Urbe in Germaniam gravi absurdo concludit. Roma Moguntiacum iter militare statuitur. Triumphus Alexandri non ad ann. 235., pertinet, sed ad ann. 234. antecedentem. Ita ejus iter Germanicum recte potest componi, & ejus mors sub finem mensis Martii ann. 235. statui. Herodianus non hinc est falsus; sed fallitur Vignolius. Quæ fuerit caussa hujus erroris. Ejus argumenta rejiciuntur. Herodianum expeditionem Persicam narrantem, non satis perpendit. Quod demonstratur. Hinc ostenditur octo menses non satis fuisse ad illam expeditionem. Textus Herodiani in numero annorum corruptus, emendatur. Hinc perperam mors Alexandri traducta fuit in proximum Sept. vel Octobr. mensem ann. 235. Aliter insequentium Imperatorum tempora quomodo subverterentur, declaratur. Neque SS. Martyrum natales dies certos haberemus; quod exemplis probatur. Totius Capitis complexio & conclusio. Vignolius amplectitur emendationem Auctoris in textu Herodiani, ubi de annis Imperii Elagabali loquitur. Sed frustra voluit probare annos eosdem Julianos esse, & cœptos cum anno civili 218.

QUI me nuper inter se pugnantia scripsisse arguebat, & qua ratione, modo unam, modo aliam sententiam adseruerim, se non posse adsequi profitebatur, ille ipse

ipse Vignolius in hoc Capite X. nuncium remittit iis, quæ in priore Dissertatione velut indubitata posuerat; eademque sponte sua contrariis opinionibus evertit. Hæc quo se habeant modo, paullo fusius est exponendum. Cum dissidium, quod inter Eruditos, ut sæpe dixi, agebatur, quo die, ac mense anni vulgaris 222. Elagabalus decesserit, & Alexander Imperio admotus fuerit, sibi componendum vir Clarissimus suscepisset, novam hanc, & a ceteris diversam sententiam excogitavit, ut id post mensem Junium ejusdem anni omnino contigisse putaverit. Hoc pag. 76. ejusdem primi Operis colligebat ex Lampridio & Eutropio, qui Imperio Alexandri tribuunt annos XIII. & dies octo, vel novem ex quo consequitur, ut eodem anni tempore declaratum illum Imperatorem dici oporteat, quo fuit a Maximino interfectus. Porro ex eodem Lampridio, & ex Herodiano, quorum longa testimonia vir doctus recitat, & expendit, cum Alexandrum a Maximino in Germania, tum Maximinum a Militibus in obsidione Aquilejæ contendebat interemptos fuisse *æstivo tempore*. Quod quidem tempus pag. 90. ex Dionis textu a se correcto, ita etiam ad dies composuit, ut Alexandrum occisum fecerit die XX. Julii A. C. 235., Maximinum vero initio Augusti 238. Itaque si a morte Alexandri, cum annis tredecim, diebus octo, vel novem retro ducatur ratio, Imperii ejus exordium, & finem Elagabali, eadem æstiva tempestate, videlicet die XI. vel XII. Julii accidisse manifestum fit. Ita olim Cl. Vignolius. At nunc totam hanc Chronologiam plane subvertit: nam posteaquam initio hujus Capitis X. fassus est testimoniis eorumdem Lampridii & Eutropii, imo & utriusque Victoris, ac auctoris libri de divisionibus Gentium, se inductum fuisse ad mortem Elagabali in æstatis, seu mensis Julii initium conferendam; deinde pag. 114. certum habet, illum ante, non vero post Kal. Julias anni 222., uti putaverat, fatum obiisse. Porro pag. 101. Scriptores eosdem omnes, tanquam minus veridicos, in ejusdem Alexandri Imperii spatio definiendo, repudiat; propterea-quod *certiore* Herodiani *testimonio* sibi constet, A-
lexan-

lexandrum non ante initium Septembris ann. 235. a Maximino interfectum fuisse, in quod Herodiani testimonium infra latius inquiram. At quoniam Alexandri obitus collatus est in mensem Septembrem, argumenta quoque illa fuerunt ipsi prætereunda, quibus, ut ante indicavi, ex Lampridio, & Herodiano exploratum sibi esse dixerat, Alexandrum, & post ipsum tribus exactis annis Maximinum, interfectos fuisse æstivo tempore. Quæ quidem argumenta tanti olim faciebat, ut in iis adornandis, utpote ab aliis nondum observatis, plenas octo paginas insumserit; & in scripto ad me misso questus perhumaniter nihil me ad ea respondisse, denuo integra mihi obtulerit, professus ab iis omnino pendere ea, quæ ipse de programmate S. Hippolyti, & de annorum numero, quo Dio circumscribit Elagabali regnum, pronunciaverat. At nunc altum de his omnibus silentium, nihil usquam de somno meridiano, nihil de pulvere ab Equitibus excitato, nihil de nive montium soluta; nisi quod in vestibulo hujus capitis se dubium animi hærere ait, num ex his, quæ de tempore mortis Alexandri, & Maximini scripserat, recte potuerit conjicere, initio æstatis, seu mensis Julii Elagabalum interfectum fuisse. Nimirum si ex novis ejus cogitationibus Alexander fato concessit Septembri mense, certe vetera illa argumenta æstivi temporis non dubia modo sunt, verum etiam inania prorsus, & supervacanea. Qua de re rursus alio in loco redibit sermo.

Cogitanti mihi, atque hæc animo pervolventi non statim occurrit caussa, quamobrem vir Clarissimus a se ipso, & a prioribus opinionibus desciverit, & tanta curaverit contentione mortem Elagabali retroducere ad diem aliquem ante mensem Julium, obitum vero Alexandri in Septembrem proferre. Nam quod spectat ad institutum, & scopum operis sui, qui versatur in eo, ut mortem Elagabali ad explicandam Tribuniciam ejus Potestatem V. post diem XVI. Maii A. C. 222. conjiciat, æque id obtinebat si ante, vel post initium Julii eam collocasset; & si obitus Alexandri cum annis tredecim Imperii secundum Eutropium, aliosque Scriptores

ptores ab æstivo tempore ad eundem cardinem deductus fuisset. At re penitus introspecta consilii ejus ratio, quam ipse nobis occuluit, aperte tandem se se mihi obtulit.

Sententiæ ejus de morte Elagabali post diem XVI. Maii A. C. 222. quam ad explicandam Tribuniciam ejusdem Imperatoris Potestatem excogitaverat, objeceram ego Capite VI. Dissertationis meæ de annis Imperii Elagabali programma Canonis Paschalis S. Hippolyti, in quo annus I. Severi Alexandri notatus exhibet hunc Augustum jam regnantem Idibus Aprilibus ejusdem anni 222., atque adeo Elagabalum jam tum defunctum. Objectum hoc Vignolius ut averteret, cum sibi non admodum prodesse quæ scripserat alio in opere satis intellexisset, ad annum Julianum, seu Civilem confugit, quo, ut Capite sequente exponam, usum fuisse S. Hippolytum, atque annum primum Alexandri in programmate expressum ab Kalendis Januariis, non a die ejus Imperii natali numerasse, sibi probandum suscepit. Ut vero invento huic suo viam sterneret, & magnæ auctoritatis exemplo aliquo præiret, Herodianum in partes vocavit, illumque computasse annos Imperatorum a Kalendis Januariis cum anno Civili, seu Juliano in hoc Capite X. demonstrare adgressus est. Tabulam itaque Chronologicam sexaginta annorum, quos Herodianus in Historia sua complectitur, statim exponit: in qua eorum Augustorum, qui intra illud spatium regnarunt, ita tempora digerit, ut anni Imperii, quos Historicus unicuique tribuit, non aliter sint dispositi quam si cœpti a Kalendis Jan. cum anno Civili essent. In primis autem pro certo sumit, Herodianum hanc servasse regulam, ut annum, quo Imperator aliquis ante Kalendas Julias obiisset, Successori integrum tribuerit; contra vero Antecessori, si post easdem Kalendas decessisset: nimirum illi Augusto, qui majorem anni partem Imperio tenuisset, annum eum totum adscripserit: quam regulam etiam S. Hippolytum servasse in computando anno primo Alexandri mox capite sequente contendit. Ergo ut annus hic primus Alexandri, cum in tabula Chronologica ex Herodiano ordinata,

tum

tum in lemmate Canonis S. Hippolyti, annum totum 222. a Kalendis Januarii complecteretur, debuit ex regula idem Imperator inchoasse regnum, & Elagabalus vitam explevisse ante Julium mensem anni ejusdem 222. At cum in alio opere ut vidimus, Elagabali interitus, & Alexandri inauguratio a viro docto conjecta fuisset post easdem Kal. Julias, propterea necesse illi fuit de vetere hac sententia decedere & Elagabali mortem retro abire jussam inter diem XVI. Maii, & Kal. Julias collocare, ut annus primus Alexandri utrobique, videlicet in Tabula Chronologica, & in programmate Hippolyteo secundum regulam dici posset cœptus cum anno Civili a Kal. Januariis anni vulgaris 222. Hinc silentio prætereunda fuerunt argumenta, quibus in æstivum tempus & post Kal. Julias anni 235. Alexandri obitus conferebatur, & Lampridio, Eutropio, & utrique Victori auctoritas omnis abroganda; propterea quod inde retroducti anni tredecim regni Alexandri perduxissent ejus exordium, & finem Elagabali in mensem Julium, & ipsum Alexandrum a possessione anni 222. deturbassent. Hoc etiam incommodi importabant anni illi XIII. Alexandri, ut constituto ex nova Vignolii sententia ejus Imperii initio ante Kal. Julias ann. 222., mors ejus incideret pariter ante Kal. Julias anni 235. qui annus hoc pacto per regulam, non ad ipsum Alexandrum, sed ad Maximinum pertineret, & proinde Tabula Chronologica, in qua ob complendum numerum annorum XIV. ab Herodiano traditum regno Alexandri annus ille huic ipsi Augusto datus est, omnino luxata, tum in hujus annis, tum etiam Maximini, in discrimen adduceretur. Tota igitur ratio novæ hujus Chronologiæ cum consistat in evertendis testimoniis eorundem Scriptorum, Eutropii, Lampridii, & utriusque Victoris, quorum auctoritate, ut ipse fatetur pag. 95. & 102. mortem Elagabali in mensem Julium contulerat, idcirco minus illos fuisse veridicos in Alexandri Imperii spatio definiendo *certiore* Herodiani *testimonio*, quo ejusdem Augusti mors, non amplius, ut olim factum fuerat in tempus æstivum seu in mensem Julium, quo auctores

illi ducebant, sed in Septembrem conferretur, sibi ostendendum proponit. At si ego demonstravero, quod quidem nullo labore, quamvis ex rei necessitate, non paucis faciam verbis, procul a vero hoc esse, omnia illa tunc jacta fundamenta ad programma S. Hippolyti, nam summa hæc ejus operis est, explicandum, convelli funditus, & labefactari necesse erit.

Æstate anni Chr. 235. inquit vir Clarissimus pag. 102., Alexandrum per montes Armeniæ exercitum ducentem Herodianus exhibet lib. 6. cap. 13. Bello hoc inde Persico absoluto Antiochiam rediisse eum narrat, ubi *statim* defectionis Germanicæ certior est factus. Quare adversus Germanos eum progredi Antiochia opus fuit, *adversus quos*, inquit Herodianus, *cum reliqua omni multitudine approperabat*, *confectoque celeriter itinere*, *constitit ad Rheni ripas*, *atque ibi res ad bellum Germanicum necessarias comparabat*. Quo fit, subjicit vir doctus, ut Alexander, etiamsi æstatis initio in montibus Armeniæ dicatur fuisse, neque tamen ante initium Septembris in Germania interfici a Maximino potuerit: præsertim, cum non statim atque illuc pervenerat, sed *post dies plurimos* mortem ipsius evenisse Herodianus referat.

Ergo Alexander cum initio æstatis (quamquam Herodianus nihil de initio habeat), seu mensis Julii, demus etiam Junii, anni 235. in montibus Armeniæ esset, hinc Antiochiam, & inde cum ingenti exercitu in Germaniam profectus est, ubi apud Moguntiacum mense Septembri ejusdem anni 235. Maximini fraude vitam amisit. Ergo totum hoc iter confecit spatio trium mensium. Hæcne serio? Montes Armeniæ Mediam versus, nam exercitus iste Mediam invaserat, ab Antiochia quingentis ad minus distant milliaribus. Antiochia Constantinopolim numerantur in Itinerario Antonini millia passuum 726. Hinc Sirmium 851., & inde Laureacum, Augustam Vindelicorum, Argentoratum, & demum Moguntiacum 986. Summa a montibus Armeniæ Moguntiam M. P. 3063. Itane qui olim Capite primo *sibi persuaderi haud facile* poterat, Elagabalum iter milliarium M. D.

tam

tam celeri gradu facere potuisse, ut intra trium mensium spatium Nicomedia Romam pervenerit; nunc in animum inducere potuit Alexandrum intra idem trium mensium spatium alterum tantum itineris, milliaria videlicet tria millia cum ingenti exercitu, quamvis celeriter processerit, emensum fuisse? Memoria repetat quæso diurnum militaris itineris octo, vel decem milliarium a se constitutum modum, & calculum ineat, quot mensibus opus Alexandro fuerit ad tantum terrarum intervallum percurrendum. At si mecum, ut alias fecit, putare velit viginti milliaria in singulos dies, expeditio hæc Alexandri sex saltem mensibus erit definienda. Nec tamen adhuc res acta est. Siquidem addere oportet plurimos dies, quos inter adventum Alexandri in Germaniam & ejus mortem intercessisse ille ipse fassus est; deinde etiam tempus illud, quod res gestæ post transgressos initio æstatis montes Armeniæ sibi poscunt; & demum moram Alexandri, non enim *statim*, ut ajebat Vignolius, discessit, in urbe Antiochiæ ante profectionem Germanicam: quæ ab Herodiano fusius narrantur. Horum omnium si habeatur ratio, ut profecto est habenda, jam non menses sex, sed complures insuper alii computandi erunt a transitu montium Armeniæ ad Alexandri interitum.

Quæ cum parum visa fuerint, vel potius visa non fuerint, nec animadversa, adjunctum est etiam aliud Alexandri iter; & absurda, quæ retulimus, graviore alio cumulata sunt. Postea enim quam V. C. librum suum in lucem ediderat, ad me misit unam, ac deinde alteram tabulam corrigendorum, ubi verbis, quæ antea recitavi, quibus Alexandrum Septembri mense interfectum scripserat, hæc alia pag. 103. vers. 23. addenda jubet: *Imo*, inquit, *si Lampridio credi potius debet, qui die* VII. *Kal. Octobris ejusdem anni, videlicet* 235., *Romæ illum maximum, & splendidissimum triumphum agentem (cujus tamen nullum in ejus nummis indicium extat) atque inde post lætas Romani Senatus acclamationes in Germaniam proficiscentem repræsentat, neque ante Octobris initium mors ejus poterit consignari.* Ego vero quid dicam ad hæc

nescio. Præter enim quam quod recurrunt hic ea omnia, quæ ante objeci adversus iter Germanicum tribus mensibus absolutum, si die VII. Kal. Octobris ann. 235. Alexander Romæ triumphavit, & non ante initium ejusdem Octobris mortuus est, septem solis diebus ab Urbe profectus est in Germaniam, & Moguntiaci vitam finivit. Quis feret hoc? At si regerat Vignolius se non conclusisse inter hos septem dies iter atque obitum Alexandri, sed affirmasse ante initium Octobris hæc non potuisse fieri; declaret ergo, quot dies velit intercessisse a die triumphi ad diem mortis. In itinerario Antonini commodior via ad ducendos exercitus Roma Moguntiacum ea videtur esse quæ per Veronam, Augustam Vindelicorum, & Argentoratum progreditur: in qua colliguntur M. P. mille, & proinde itineris militaris sexaginta dies. Si vero addamus *plurimos* illos *dies*, quos ex Herodiano consumsit Alexander terendo tempus, computatione ducta a die triumphi 26. Septembris ann. 235. mors ejus erit proroganda post exordium anni 236. insequentis: quod neque ipse Vignolius unquam admiserit. Quamobrem quocumque se vertat novam hanc, de qua adeo solicitus fuit, rationem collocandi mortem Alexandri, sive ante, sive post initium Octobris anni 235. a veritate undequaque alienam deprehendet. Id vero eum fefellit, quod triumphum Alexandri putavit pertinere ad annum 235., qui cum ex aliis, tum ex ante dictis certissime referendus est ad annum antecedentem 234. Ita porro post triumphum die 26. Septembris hujus anni actum potuit Alexander iter Germanicum explere, & moram plurium dierum ad ripas Rheni extrahere, ubi demum sub fine mensis Martii an. 235., quæ nostra sententia est, de qua alibi, dolo Maximini sublatus est. Nunc ad Herodianum revertamur. Si intra spatium trium mensium tot, & tantæ res geri non potuerunt, ergone falsus est Herodianus, qui initio æstatis exercitum Alexandri per montes Armeniæ transduxit? Nequaquam: sed fallitur ejus interpres Vignolius, qui insigni metachronismo transisse Alexandrum montes Armeniæ æstate anni 235. putat,

tat, cum id non potuerit accidere, nisi anno saltem antecedente 234. Erroris hujus caussam gravior alius præbuit error. Susceperat probandum in hoc capite V. C. Herodianum Imperatorum annos per annos Julianos putasse: quam in rem hoc primum utitur argumento. Herodianus lib.*6.* Cap.*6.*, vel 2. in mea editione Patavina, narrat, Alexandrum *anno tertio decimo Imperii jam exacto, & decimo quarto inchoato* in Mesopotamiam adversus Artaxersem regem Persarum castra movisse, & cum eo graviter inde pugnasse, post pugnam vero Antiochiam se recepisse, ibique aliquandiu commoratum in Germaniam contendisse. Quæ, is licet festinato itinere ab Urbe Antiochiam, indeque in Germaniam se contulisset, nunquam tamen intra dies octo, vel novem, quos post integros Imperii sui annos tredecim a prima suscepti principatus die imperasse ille dicitur, contingere, atque effici poterant. Hæc ipsa sunt Vignolii verba: ex quibus haud facile quis intelligat annum Julianum probari. Sed eo redit ejus argumentatio, ut quandoquidem Alexander ex Herodiano Roma discessit *anno* XIII. *Imperii jam exacto, &* XIV. *inchoato*, cui anno numerato a prima Imperii die, non amplius, quam octo, vel novem dies supersunt, ex sententia Eutropii, & aliorum, de quibus supra memini, fieri nequit, ut Herodianus ipse numeraverit annos ejus a die Imperii natali; quia illis octo, vel novem diebus, quos supra annos tredecim auctores illi tribuunt Alexandro, expediri non potuerunt illa omnia, quæ gesta refert Herodianus. Ergo necesse est hunc Historicum computasse annum XIV. inchoatum modo Juliano, & a Kalendis Januariis: a quo die ad initium Septembris, seu Octobris insequentis, quo Vignolio judice contigit Alexandri mors, recte ea ipsa confici potuerunt, quæ a profectione ab Urbe ad obitum confecta narrat Historicus. Nimirum hoc est, quod fidem omnem superat, & a quo cum hujus argumentationis, tum prioris de itinere Germanico falsa ratio dimanat. Vidit V. C. in contextu Herodiani scriptum, expeditionem Persicam ab Alexandro susceptam anno XIII. *Imperii completo*, sed non animadver-

tit

tit ea, quæ subsequuta sunt usque ad ejus mortem, quæ cum nullo unquam modo geri potuerint, nedum post exordium ejusdem anni XIII. etiamsi is annus cœptus dicatur ab Herodiano a Kal. Januariis an. 235. intra scilicet octo menses, sed neque tribus solidis, & fortasse quatuor annis; proinde certissimum sit, numerum illum annorum XIII. plane corruptum esse. Hoc pridem observarunt viri doctissimi, Pagius ad annum 228. num. IV. & Tillemontius not. VIII. in Alexandrum, quod ex his ego etiam notavi pag. 45. primi operis. Rei momentum exigit, ut gestorum seriem ex octo Herodiani capitibus summatim ante oculos ponam.

Cum Alexander *tredecim annos* Imperium gubernasset, *ecce*, inquit Historicus initio cap. 2. lib. VI. *sibi haud opinato literæ e Syria & Mesopotamia redditæ* a Ducibus, in quibus scriptum esset Artaxerxem Persarum Regem &c. Alexander his intellectis amicorum consilio *legatos cum literis ad Artaxerxem mittit*, *persuasurus* pacem: quas epistolas cum barbarum contemsisse intellexisset, *ægre tandemque* ad expeditionem se comparat, & *habitis per Italiam, & provincias cum ingenti motu Romani Imperii delectibus*, Roma profectus per Illiricas gentes itinere festinato Antiochiam contendit. In hac Civitate *moratus aliquandiu* comparandis ad bellum necessariis, *aliam* ad Persarum Regem de pace *Legationem mittit*, a quo Oratores Romani re infecta cum *remissi fuissent*, Imperator *magno jam coacto exercitu*, milites trifariam distributos *in diversas Persidis regiones* impellit: quos exercitus Artaxerxes huc illuc incurrens *post varias pugnas* profligavit. Ergo Alexander accitis militibus *Antiochiam redit*, ubi *copias instaurabat*, *comparabatque ex integro*, & hilarior jam, & liberior laxatis bellorum curis *urbis ejus deliciis indulgebat*. Inter hæc auditis motibus Germanorum, *cum nihilominus metu cunctaretur*, tandem adversus ipsos *cum reliqua multitudine* approperavit: & cum consisteret ad Rheni ripas, & *res ad bellum necessaria compararet*, *misit Oratores* de pace ad Germanos, & indignantibus militibus *frustra se tempus terere*, denique conspiratione obtruncatus est.

Hæc

Hæc ne tanta, & tam varia, tot consiliis, Legationibus, delectibus, & cunctationibus dilata, tot expeditionibus, pugnis, & longissimis itineribus producta, hæc, inquam, omnia octo mensibus? Si putentur sola itinera ab Urbe Antiochiam, & ad Persidis regiones, hinc rursus Antiochiam, & inde Germaniam, sexies pene mille milliaria conflatur, quæ si continenter in expeditione Alexander fuisset, annum integrum absorbent. At si addantur temporum omnia illa intervalla, quæ descripsimus, plures colligi insuper annos facile unusquisque conjiciet. Quid vero si Alexander, ut ex Lampridio ipse V. C. agnoscit, ante Germanicam profectionem ad Urbem accessit, & triumphum egit splendidissimum? Si quis vero quærat, quisnam igitur Alexandri annus, quandoquidem annus XIII. omnino est expungendus, in textu Herodiani restitui debeat, res plane est incerta. Pagius ad annum 228. n. III. profectionem hanc Persicam in annum octavum Alexandri & 229. æræ vulgaris confert: quæ tamen opinio pluribus difficultatibus scatet. Tillemontius not. VIII. in Alexandrum rectius constituit annum Chr. 231. vel 232.

Ex his ergo firmamentis temporum, quibus extrema Imperii Alexandri intervalla innixa sunt, evidenter constat æstate anni 235. exercitum ejus non transisse per montes Armeniæ, neque illum triumphasse die XXVI. Septembris ejusdem anni; & proinde hinc perperam fuisse traductam ipsius mortem in proximum Septembris, vel Octobris mensem. Quæ sane opinio eo etiam est a veritate longe alienissima, quod sequentium Imperatorum tempora mire labefactata subvertit. Auctorem ipsum appello, qui in prima Dissertatione pag. 7. recte monet ab Alexandri Epocha pendere terminos nonnullorum insequentium Imperatorum. Si ergo Alexander obiisset Septembri, vel Octobri mense an. 235. interitus Maximini, qui quartum annum delibavit, uti ejus nummi docent Potestate IV. insigniti, prorogandus esset saltem in Novembrem an. 238. Hinc Balbinus, & Pupienus, qui tres circiter menses illi superfuerunt, trucidati es-

sent Februario anni 239. qua anni tempestate quis unquam putet ludos Capitolinos actos fuisse: nam illi ludis Capitolinis perierunt, teste Herodiano libro, & capite extremis. Præter quam quod ex celebri Censorini loco, de quo alibi, colligitur certissime, agonem hunc Capitolinum tricesimum nonum celebratum fuisse intra annum 238. Eodem vero tempore Gordianus III. Augustus appellari debuisset, cujus tamen leges habemus datas ante sex, vel septem menses: & ejus obitum necesse esset producere in annum 245. quod certis Chronologiæ characteribus adversatur. Sed de his rursus alio loco, & occasione.

Atque ita convulsis horum Imperatorum cardinibus, neque certos Sanctissimorum Martyrum, qui sub iisdem passi fuerunt, natales dies habere possemus, ut ipse etiam Vignolius eadem pagina notavit. Profecto ut hoc tantum exemplo utar, si Alexandrum Septembri, vel Octobri mense anni 235. defunctum fecerimus, S. S. Pontiani Papæ, & Hippolyti Presbyteri, qui sub initium Maximini passi sunt, natales dies in Fastis Ecclesiasticis incerti plane, & dubii essent: imo cum Dodwello heterodoxo, qui Sanctis Martyribus bellum indixit, S. Hippolytum Episcopum Portuensem, cujus dies obitus in Martyrologiis XXII. Augusti adsignatur, Martyrum albo expungere cogeremur. Hæc exposuit doctissime Cl. Valsechius in priore Dissertatione sua cap. III.

Ut vero priora recolligam, cum *certiore* illo Herodiani *testimonio* nihil prorsus effectum sit, ut Alexandri mors in mensem Septembrem an. 235. produceretur, Eutropium denique, Lampridium, duosque Victores oportebit in sua jura, & pristinam auctoritatem veluti postliminio redire. Patiatur itaque Clarissimus vir necesse est, eodem tempore post annos XIII. dies octo Alexandrum occisum, quo inauguratus est ipse, & Elagabalus interemptus. Pati etiam proinde debet alterum de duobus, aut hoc accidisse ante Kal. Julias ann. 222. aut post ipsas Kalendas. Utroque modo tabula Chronologica, & annus Julianus Herodiani concidunt. Si enim ante Kalendas eodem tempore anno 235. fato obiit

Ale-

Alexander, & annus hic ex regula Maximino imputandus est: si post Kalendas annus 222. pariter ex regula Elagabalum complectitur, non Alexandrum. His autem ita compositis, duo nobis commoda derivantur: alterum illud est, quod sublato anno Juliano Herodiani, ejus exemplo dici nequit Hippolytum quoque annum eundem Julianum usurpasse in computando anno primo Alexandri; alterum, quod & maximum, hoc est, quod nova Cl. Vignolii ratio explicandi Tribuniciam Pot. V. Elagabali, non habet amplius quo loci consistat, & quo certo innitatur fundamento. Nam quæ olim argumenta mortem Elagabali, & Alexandri inaugurationem in æstivum tempus conferebant, ille ipse jam sponte sua abjecit, & repudiavit; quæ vero eam retrahunt ante Kal. Julias a nobis satis superque eversa, & refutata sunt. Cum igitur neutra opinio valida sit, & firma, hoc demum superest solum, ut Elagabali finis & Alexandri exordium Martio mensi restituatur: quæ nostra sententia, Pagii & Eruditorum pene omnium hactenus fuit.

Interim mihi gratulor quam maxime, illum, qui olim in primo opere pag. 91. non dubitabat, quin in textu Herodiani lib. V. cap. ult. legi deberet, Elagabalum produxisse Imperium *in quintum annum*, nunc pag. 100. mecum sponte sua legendum omnino arbitrari, *in quartum annum*: quam emendationem amplexus est etiam supra toto capite IV. Ut vero sibi invicem ego consentiam, annos hos quatuor Elagabali Julianos esse integros, & cœptos a Kal. Januariis cum anno civili 218. ita ut annus 222. totus sit adscribendus Alexandro, expediat ille prius & dissolvat nodos illos, & difficultates, oportet, in quas ob eam rem illum se se conjecisse in superioribus demonstravi.

Quæ vir Clarissimus fusius disputat in hoc capite de die natali Alexandri, & de nomine Severi, erudita quidem sunt, & egregia; sed quoniam ad argumentum, in quo versamur, minus pertinere videntur, sine ullo discrimine possunt a me prætermitti.

CAPUT XI.

Nova Vignolii ratio, qua pertentat tollere dissidium inter suam sententiam de morte Elagabali, & annum primum Alexandri inscriptum in lemmate Cycli S. Hippolyti, ex ipsius assertis est incredibilis. S. Hippolytus in usum Christianorum Rom. Urbis se accommodavit; non vero exterarum gentium. Rom. Ecclesia primis temporibus in celebratione Paschatis diversos ab Alexandrina Canones recepit. S. Hippolytus Romanos Canones usurpat. Quando Eccl. Latina Alexandrinorum Canones amplexata sit. Non est credibile eundem sanctum Pascha posuisse sub Imperio Alexandri, quod omnes noverant celebratum sub Elagabalo. Exempla quæ congerit, non pertinent ad Romanos usus. Falsum, veteres Chronologos aliam regulam adhibuisse a Romana diversam in annis Rom. Pontificum consignandis. Henschenius a Pagio emendatus; & alia regula ei opponitur. Perpenduntur auctoritates Scriptorum ex Petavio a Vignolio adductorum ad suam regulam firmandam. Petavius explicatur ubi de anno mortis S.S. Apostolorum Petri & Pauli agit. Ejus interpretatio nec Vignolio suffragatur. Petavii sententia quamvis esset vera, est contraria regulæ a Vignolio propositæ de anno tribuendo illi Imperatori, qui potiorem ejus partem tenuerit. Quid censendum de hac quæstione, sub quo nempe Imperatore facta sit Pascha, quam S. Hippolytus signavit in programmate sui Cycli. An recte sentiat Vignolius, quomodo intelligendi sint Auctores, qui anno Juliano, seu a quocumque alio cardine annos Principum numerarunt. Ex iisdem a Vignolio pro sua sententia adductis, ostenditur quomodo subverteretur historia & Chronologia cum sacra, tum profana. Et quæ absurda sequerentur. Item hac regula admissa Acta Martyrum incerta redderentur & confusa. Hinc quid concludendum.

An-

ANnus Julianus priores iterum turbat res, & annum consularem, qui olim programmatis Hippolytei facta moderabatur, loco cedere, & sibi jura illius tuendi & explicandi deferre cogit. In limine hujus capitis XI. exponit Cl. Vignolius Severum Alexandrum idibus Aprilibus anni 222. qui in programmate Cycli S. Hippolyti per ejusdem Augusti annum primum indicatur, nondum Elagabalo successisse; siquidem a se certis gravissimisque testimoniis firmatum fuerit, eundem Elagabalum non obiisse nisi post Idus Majas quinto anno Imperii sui inchoato. Cum vero dici nequeat, Hippolytum ignorasse diem Imperii Alexandri natalem, nec fides possit derogari publicis Senatus Romani monumentis, propterea ut dissidium hoc tolleret, se ait in primo opere putasse, S. Hippolytum in Chronico suo posuisse annos Consulares, & in Capite Cycli hæc verba, HOC ANNO, nempe Consulari, adscripsisse. Quod tamen nunc ita vult esse intelligendum, ut in Chronico tum anni Imperatorum, tum etiam Consulum fuerint expressi, eo modo quo in tabula nunc primum a se concinnata expositum reperitur.

Itaque ad hanc conjecturam devenire sibi opus fuisse subdit, ut nimirum homo ille minime accuratissimus, qui ex Hippolyto exscripsit Cyclum, anno consulari neglecto, annum Imperii ex Hippolyti Chronico acceperit, illumque loco harum duarum vocum, *hoc anno*, Cyclo substituerit. Quod vero ad hanc conjectandi rationem tunc devenerit, culpam in me transfert: nam cum per literas sensum suum hunc esse mihi aperuisset, ut annus primus Alexandri in Programmate positus, non a die Imperii Alexandri natali, sed ab alio capite, nempe a prima die Januarii an. 222. secundum annum Julianum numeratus fuerit, & ego huic opinioni contradixissem, auctoritati meæ, quæ erat ejus erga me humanitas, sibi acquiescendum ratus, ad illas conjecturas se confugisse ait, ita tamen, ut etiam sententiam de anno primo Alexandri pro anno Juliano 222. accepto, quamquam dubitanter, ostenderit. Nunc ergo prorsus abacto an-

no Consulari, solius anni Juliani ab Hippolyto cum anno Civili a Kal. Januariis inchoati rationem se habere profitetur his plenissimis verbis: *ita vero annum illum primum Alexandri ab Hippolyto acceptum fuisse, nunc adeo sum persuasus, ut de hoc amplius hæsitare, atque alio vertere se animus nequeat.*

Hoc vero mihi mirum videtur, atque incredibile. Cum enim S. Hippolytus conscripserit Cyclum suum in ea urbe, in qua *Senatus solitus semper fuit annos Imperatorum numerare non a Kalendis Januariis cum anno Civili, seu Juliano, sed a prima suscepti Imperii die*, quæ viri clarissimi sunt verba ex pagina 127. & 92. non ego animo comprehendere valeo, qui fieri possit, ut aliam regulam usurpaverit, quam popularem illam, & *solemnem*, qua Senatus Romanus uti solitus semper fuit: & annum primum Alexandri computaverit a die prima Januarii an. 222. non vero a die ejus Imperii natali. Nimirum quod paullo ante pag. 93. *stultitia* erat, & *levitas* in Elagabalo, hoc ipsum nunc esset in Hippolyto optimum factu consilium. Quocirca aliena sunt ea omnia, quibus contendit ostendere, populos alios annum suum civilem vel ab Autumno, vel a Thoth Ægyptiaco, vel a quocumque alio cardine fuisse exorsos. Scribebat siquidem Hippolytus in usum Christianorum Romanæ urbis, quos absurdum omnino est arbitrari, voluisse ad exterarum gentium mores potius, quam ejus urbis, in qua degebant, consectandos traducere. Hujus rei argumentum ex eo etiam sumitur, quod ad alios quoque Christianorum Romanorum usus, nequaquam vero alterius gentis, in condendo Cyclo suo, se se Hippolytus accommodaverit.

Romana Ecclesia primis temporibus in celebratione Paschatis diversos ab Alexandrina Canones & discrepantes recepit: de quibus agit Victorius Aquitanus in præfatione Cycli sui Paschalis. In primis Latini mensem primum ordiebantur a quinto die Martii, & producebant usque ad diem secundum Aprilis viginti novem dierum spatio. At Alexandrini Neomeniam primi mensis ab octavo die Martii ad diem quintum Apri-

Aprilis extendebant. Rursus Romani nunquam solemnitatem Paschalem luna XV. peragebant: ut si XIV. luna incidisset in Sabbatum, non die postero Dominico Pascha celebrabant, sed illud ad Dominicam insequentem, & lunam XXII. diffundebant. Contra Alexandrini uno die citius quam Romani Pascha agebant, nempe ipsa luna XV., nec illud ultra lunam XXI. transmittebant. Utrumque hunc Canonem more Romanorum usurpat S. Hippolytus in suo Cyclo. Nam citimam Neomeniam a die quinta Martii desumit; quapropter lunam XIV. etiam ante Æquinoctium occurrentem uti Paschalem admittit: ut videre licet in primo latere in annis VI. & XIV. ubi decima quarta incidit in diem XVIII. Martii; quia videlicet Neomenia desumpta est a die quinto ejusdem mensis. Deinde secundum alterum Canonem Latinorum numquam in XV. Lunam Paschale festum conjicit; sed si terminus in Sabbatum competit, non postridie, sed Luna vigesima secunda solemnitatem incidit; ut in ipso anno primo, de quo disputamus, & in annis IV. VII. X. XIII. & XVI. apparet. Ceterum Ecclesia Latina, ut hoc etiam addam, a vetere hac regula, quæ saltem usque ad S. Leonis Magni tempora viguit, postea discessit, & Alexandrinorum Canones amplexa est: nunc enim termini Paschales figuntur in diem VIII. Martii & quintum Aprilis; & si Luna XIV. Sabbatum obtineat, die sequente Dominico festus dies Paschatis peragitur: uti fieri poterat anno MDCC. nuper elapso, nisi auctor Kalendarii Gregoriani rationibus suis Pascha transmisisset ad Lunam XXII.

Ergo si Hippolytus, repudiatis Canonibus Alexandrinorum in Cyclo suo Paschali condendo secutus est consuetudinem Romanorum, quis credat illum in ejusdem Cycli programmate contra *morem solemnem* eorundem Romanorum invexisse annum Julianum, & annum primum Alexandri inchoasse a Kal. Januariis, vel cum iisdem Alexandrinis, & aliis exteris populis eum ab alio capite numerasse; Et rursus quis credat, Hippolytum exhibuisse spectandum sub A-

lexan-

lexandri imperio Pascha illud, quod omnes Christiani sciebant celebratum fuisse vivente Elagabalo.

Perspicuam magis rem hanc faciam exemplo nostri ævi, quod docto viro proposueram in memorata epistola, sed illud sine responsione dimisit. Josephus Imperator fato functus est die 17. Maii ann. 1711., cui successit CAROLUS Felix Augustus. Condiderit aliquis Viennæ Austriæ Cyclum Paschalem incipientem ab anno eodem 1711. & primum Pascha hoc modo descripserit: *Anno* I. *Imperii Caroli Imperatoris factum fuit Pascha die Dominico* V. *Aprilis*. Quid ad hæc Viennenses, qui Paschatis festum ejus anni egerunt *vivo Josepho*, quippe annos Cæsarum numerare solent a die suscepti imperii? Quid etiam si Pascha anni insequentis sub anno II. Caroli, & sic deinceps signatum fuisset? Ego vero cum in epistola illa hoc neque in Hippolyto tolerari posse scripserim, videant æqui rerum æstimatores, num ob eam caussam arguendus fuerim; & utrum exempla illa externa, quæ in me congesta sunt in hoc capite, ad Romanos usus, & regulas quicquam pertineant. Sed de his etiam postea.

Verum ille contendit, Hippolytum in numerandis annis Imperii Alexandri nequaquam secutum fuisse morem Senatus Romani, sed quemadmodum factum fuerat ab Herodiano, ita illum non Elagabalo tribuisse annum Christi 222., sed *primum Alexandri* dixisse, secundum eam regulam, quam alii etiam veteres Chronologi in annis Romanorum Pontificum concinnandis quandoque adhibuere, quia scilicet Alexander potiorem ejusdem anni 222. partem Imperio tenuit. Nimirum ad hoc fœdus inter Herodianum & Hippolytum constabiliendum, & ad hanc condendam regulam, ea omnia parata erant, quæ capite antecedente dicta sunt. Cum vero structura illa omnis convulsa a nobis fuerit: uti Herodianum nihil prorsus adjumenti contulisse Hippolyto tunc demonstratum est; ita neque Chronologos Pontificios quicquam illi prodesse nunc ostendam.

Go-

Godefridus Henschenius in prologo sui apparatus ad Chronologiam Pontificiam, qui habetur in Propylæo ad Acta Sanctorum mensis Maii pag. 2. num. 8. hæc verba scribit, quæ a viro Clarissimo allata, ego integra repetam, quod infra etiam usui non modico futura sint: *in hac priori parte*, inquit Henschenius, *nulli Consules repetuntur*, *quamvis sub iisdem*, *sub quibus sedere inceperunt quidam*, *fuerint vita functi*, *aut martyrio coronati eorum decessores*. SED EJUS PONTIFICATUI, QUI POTIOREM ANNI PARTEM VEL INCIPIENS, VEL FINIENS TENUIT, RELINQUUNTUR. Exempli caussa: S. Alexander *dicitur fuisse* temporibus Trajani a Consulatu Palmæ & Tullii usque Æliano & Vetere. Creatus is est, & ordinatus anno CVIII. cum Cos. Gallo, & Bradua: *sed quia hunc annum decessor Evaristus tenuit usque ad* XXVI. *Octobris*, *huic illi relinquuntur*, *&* *in designando initio Alexandri primi nominantur* Palma & Tullius. Deinde Ælianus & Vetus *fuerunt* Consules *anno* CXVI. *quos ultimos toto anno habuit Alexander*, *& superfuit usque ad diem* III. *Maii anni* CXVII. *quo Consules erant* Niger, & Apronianus: *qui tamen non attribuuntur S. Alexandro*, *sed soli S. Sixto ejus Successori*.

Præclare quidem Henschenius favet regulæ; sed non ita Pagius, qui ad annum 67. num. XIII. eam omnino falsam, & commentitiam fusiore disputatione evincit. Supervacanea res esset, & molesta singulas ejus rationes afferre, quæ ab ipso peti poterunt. Aliam porro regulam Henschenianæ opponit Pagius, eamque certam vocat, & indubitatam, ut scilicet Pontifices tam in priore parte Chronici, quam in posteriore, memorati, sub illis Consulibus intelligi debeant demortui, ad quos in iisdem Chronicis pervenisse dicuntur, sive parum, sive multum sub illis Consulibus vixerint. Quæ quidem cum simplicior, tum & verior explicatio est.

Cum ergo neque Chronologus Pontificius, neque Herodianus suffragentur Hippolyto, videndum superest, num magnæ auctoritatis scriptores alii, Eusebius, Hieronymus, & Cassiodorus, quos V. C. appellat ex Petavio, morem hunc pu-

putandi annos Imperatorum ab anni exordio familiarem habuerint. *Sed minime*, inquit ille de doctrina temporum lib. XI. cap. 15. quod in mea editione Amstelædamensi est 14., *reprehendendi sunt veteres illi, qui Imperatorum annos non ab eo die putare solent, quo primum inierunt, sed a Civili, & populari anni primordio, quod illorum initium antecessit. Nonnunquam vero proleptice antevertunt, sive a Paschali mense, & Ecclesiastico anni exordio numerant, sive a Januario, præsertim cum res Romanorum præscribunt.* Atqui est inspiciendum, qua de caussa, & qua occasione magnus Chronologus hæc scripserit. Quærit hoc loco, quo anno SS. Apostolorum principes interfecti fuerint. *Eusebius*, inquit, *in Chronico, Hieronymus, Cassiodorus, & alii Petrum, & Paulum Neronis anno decimoquarto cæsos esse, memoriæ prodiderunt.* At cum, subdit ille, Neronis primus annus inierit ex ante diem XIII. Octobris A. C. 54., & octo menses dumtaxat anni decimiquarti confecerit usque ad diem decimum Junii ann. 68., quo obiit, & Apostoli die XXIX. Junii necati fuerint, fieri nequit, ut anno Neronis XIV. Martyrium fecerint, sed antecedente, nimirum decimotertio, eadem die XXIX. Junii anni 67. In hisce igitur angustiis se deprehensum sentiens, ne cogeretur cum Baronio ad A. C. 69. num. 1. falsos dicere auctores istos, qui mortem Apostolorum in annum Neronis decimumquartum conjecerunt, in hanc descendit sententiam, ut putaret auctores eosdem numerasse annos Neronis non a die suscepti Imperii, sed a Paschate, vel a Kalendis Januariis antecedentibus anni Juliani 54., quo fiebat, ut cæpto anno ejus XIV. ab iisdem Kalendis, vel a Paschate anni 67., recte dici posset, Apostolos passos fuisse die XXIX. Junii ann. 67. decurrente ejusdem Neronis anno decimoquarto. Sed frustra Petavius hoc perfugium quæsivit, & frustra noster eo usus est. Nam primo verum esse nequit, Neronem Martyrio affecisse SS. Apostolos die XXIX. Junii ann. 67., propterea quod non ante hunc annum exeuntem ab Græcia reversus est in Italiam, quod certissimis argumentis evincit Card. Norisius in addendis

dis ad epistolam Consularem, & post ipsum Pagius ad eumdem annum 67. & Tillemontius not. XI. ad S. Petrum tom. I. hist. Ecclesiasticæ. Præterea æque verum esse potest, hunc morem putandi annos Imperatorum ab exordio anni Civilis *familiarem* non fuisse Eusebio; nam contra stat ipsemet Eusebius. Narrat hist. Eccl.lib. VIII.c. 2. fuisse a Diocletiano proposita Edicta contra Christianos, cum *agebatur nonus decimus annus ejus Imperii*, *mense Dystro*, *quem Romani Martium vocant*, *appetente die Festo Dominicæ passionis*. Edicta hæc emanasse refert Lactantius de mortibus Persec. cap.12. *Diocletiano octavum*, *&* *Maximiano septimum Consulibus:* qui annus est vulgaris 303. Si ergo mense Martio hujus anni Eusebius numerabat annum XIX. Diocletiani, ejus exordium sumserat a die ejus natali XVII. Septembris, quo imperium cœpit anno 284. Nam si ab antecedentibus Kal. Januariis putasset ejus annos, mense Martio 303. fuisset in cursu annus vicesimus, non vero decimus nonus.

At quamvis sententia illa Petavii vera esset, ea tamen, ut ante indicavi, ob hoc etiam uti non posset vir doctus, quia contraria prorsus est ejus regulæ de anno tribuendo illi Imperatori, qui potiorem ejus partem tenuerit. Siquidem Petavius Neroni adscribit totum annum vulgarem 54., cujus majorem partem occupavit Claudius, nimirum usque ad diem XIII. Octobris quo die ille obiit, & Nero Imperium adeptus est. Demum nec cum Petavio affirmare posset, Eusebium putasse annos Imperatorum a Paschate, quia hoc pariter adversaretur rationibus suis. Nam si Hippolytus annum primum Alexandri inchoasset a Paschate anni 222., scribere non potuisset, decimam quartam Paschalem, quæ octo diebus antecesserat, factam fuisse anno primo Alexandri.

Hactenus, ut vestigiis Clarissimi viri insisterem, quæ ipse argumenta ad annum Julianum inculcandum adornaverat, contrariis persecutus sum rationibus. Ceterum uterque nostrum in perpetuo paralogismo versatus est; & quæ utrimque disputavimus, vel extra quæstionem sunt, vel eam cer-

te non dirimunt. S. Hippolytus hæc habet in programmate Cycli sui: *Anno* I. *Imperii Alexandri facta est decima quarta Paschæ Idibus Aprilibus*. Contendit ille hoc die XIII. Aprilis A. C. 222. vivum adhuc fuisse Elagabalum, & imperantem. Quamquam autem superstes erat Elagabalus cum decima quarta Luna Paschalis die XIII. Aprilis facta fuit; attamen Hippolytus illam posuit sub *anno primo* Alexandri. Hoc vero illud est, quod quæstionem nostram facit; & hoc erat illi probandum, Hippolytum scilicet potuisse recensere Pascha anni 222. sub *anno primo* Alexandri, quod Pascha celebratum fuerat sub ejus antecessore. At de re hujusmodi toto hoc capite ne verbum quidem ullum. Ille vero nervos omnes intendit, ut probatum faceret, Hippolytum computasse *annum primum* Alexandri non a die suscepti imperii, sed proleptice a Kalendis Januariis cum anno Juliano seu Civili: quemadmodum annos Principum Herodianus, auctor Pontificalis, Eusebius, & Scriptores alii, & populi numerare consueverant. Quod sane quamvis esset verum, non ideo rem nostram conficeret. Nam ut inferri posset, Hippolytum consignasse sub *anno primo* Alexandri Pascha illud, quod commissum fuerat sub Elagabalo ejus decessore, oportebat ostendere, Scriptores eosdem, & populos, qui annos Principum non a die eorum Imperii natali, sed a Kalendis Januariis, seu ab alio Cardine anni Civilis putarunt, res actas ab exordio ejusdem anni Civilis ad illorum Principum inaugurationem, cum adhuc antecessor viveret, non huic tribuisse, sed eorumdem *anno primo* consignatas literis mandasse. Hoc vero est, quod testimonio ullo, vel exemplo probatum reperire apud Cl. Vignolium nusquam potui. Porro si Scriptores aliqui seu ab anno Juliano, seu a quocumque alio capite annos Principum auspicantur, id solum volunt, ut eorumdem Principum annos eo modo cœptos in plenum, seu rotundum annorum numerum colligant; nequaquam vero ut res gestas designent sub eo die, & tempore, quo Principes illi nondum regnabant. Petavius, ut exemplum hoc repetam, censuit, Eusebium inchoasse annos Neronis proleptice

leptice

leptice a Kalendis Januariis anni vulgaris LIV. quo hic annus tamquam ejusdem Neronis *primus* ab eo acceptus est; sicut annus 222. veluti *primus* Alexandri ab Hippolyto sumtus dicitur. At hoc ille fecit non alium ad finem, quam ut colligeret annos ejus Augusti quatuordecim, & in annum LXVII. Apostolorum mortem componeret. Anno eodem LIV. M. Asinio, & M. Acilio Cos. narrat Tacitus lib. XII. Annal. cap. 64. plura ante obitum Claudii prodigia evenisse. Hæc prodigia si commemorasset Eusebius, vel Petavius ipse, credatne aliquis, eos dicturos fuisse, illa accidisse *sub anno primo Neronis?* Nec igitur mente capere quisquam poterit, Hippolytum, etiamsi, quod negamus, annos Alexandri numerasset a Kal. Januariis an. 222., posuisse sub ejus *anno primo* Pascha illud, quod inter easdem Kalendas, & ejus imperii initium, vivente adhuc Elagabalo, celebratum fuerat. At profecto si hanc sententiam admitteremus, nec facta, nec tempora sibi constarent; & perturbari ac subverti historiam & Chronologiam cum Sacram, tum profanam, necesse esset. Hoc ut pateat, exempla quædam in medium proferam ex eisdem petita scriptoribus, Herodiano, & Chronologo Pontificio, ex quibus ille rem hanc tantam deduci posse arbitratus est.

Quandoquidem tum Hippolytus, tum etiam Herodianus ex Vignolii sententia eamdem regulam in designandis Imperatorum temporibus amplexi sunt, hoc sequi oportet, ut quemadmodum Hippolytus Paschalem solemnitatem, quæ acta erat sub Elagabalo posuit sub *anno primo* Alexandri; ita Herodianus rem quamlibet gestam a Kalendis Jan. anni postremi Imperatoris alicujus ad Successoris inaugurationem, recensere debuerit sub ejusdem Successoris *anno primo*. Pertinax occisus est die 28. Martii A. C. 193., post quem duobus mensibus, & quatuor diebus regnavit Julianus, inde Septimius Severus. Hic annus in tabula Chronologica, de qua Capite superiori, est primus ejusdem Septimii. Si Herodianus, cum memorat necem Pertinacis, diem adnotasset, hoc modo igitur eam rem prodidisset. *Pertinax obiit*

die XXVIII. *Martii anno* I. *Imperii Septimii Severi*. Caracalla paullo ante mortem iter suscepit ad urbem Carras in Mesopotamia. Ergo hoc factum narrasset Herodianus accidisse, *anno primo Imperii Macrini*; qui totum annum 217. in tabula Chronologica obtinet. Demum Julianus obiisset anno primo Septimii, Caracalla anno I. Macrini, Macrinus anno I. Elagabali, Elagabalus anno I. Alexandri. Quis ferret ita loquentem Herodianum, & tam immanem rerum, & temporum perturbationem? Alia possem hujusmodi exempla colligere; sed unum non præteribo propius cum S. Hippolyto comparandum. Dixerat V. Cl. Elagabalum processisse Consulem Kalendis Januariis A. C. 222. qua de re actum est Capite 8. Ipsis Kalendis jam cœperat annus primus Julianus Alexandri in eadem tabula, & secundum regulam. Ergo *Elagabalus processit Consul anno* I. *Alexandri Kalendis Januariis*. Hocne pateretur ille? Cur igitur pati vult, Pascha ejusdem anni, celebratum sub Elagabalo, positum fuisse ab Hippolyto sub *anno primo Alexandri?*

Quæ in Herodiano absurda adnotavimus, eadem quoque in Chronologum Pontificium, qui Damasus putatur, irreperent, si, ut viro Clarissimo placet, ipse etiam secundum Hippolyti regulam annum totum ei Pontifici tribuerit, qui ejusdem anni majorem partem obtinuit. Nam pariter cum Hippolyto res gestæ sub uno Pontifice signandæ fuissent ipso nomine alterius: quo perpetuus in Sacram Historiam metachronismus induceretur. Exempla sint duo ex verbis Henschenii paullo ante recitatis. Alexander Papa creatus est anno CVIII. Sed quia hunc annum decessor Evaristus tenuit usque ad XXVI. Octobris, ideo huic annus idem CVIII. totus relictus est. Si ergo quidpiam gestum mense Decembri, cum jam sedebat Alexander, nam ex antiquis Catalogis cessavit Episcopatus dies XXIX., narrandum suscepisset Chronologus ille, dicere debuisset, id factum *sub Evaristo*. Nos quoque ex hac regula cogeremur dicere, *sub Pontificatu Innocentii* XII. *die* 23. *Novembris electum fuisse* CLEMENTEM XI. cujus hoc anno QUINDECENNALIA solvimus,

VI-

VICENNALIA multa ad temporum felicitatem, & Christiani Orbis lætitiam, nuncupamus. Rurſus, quia S. Alexander deceſſit die III. Maii an. CXVII. annus hic integer ad Sixtum ejus ſucceſſorem pertinet. Ergo acta menſe, puta Aprili, ejuſdem anni CXVII. quo tempore vivebat Alexander, ſignanda fuiſſent *nomine Sixti*, qui nondum Epiſcopatum adeptus erat. Hinc Alexander creatus fuiſſet *anno poſtremo Evariſti*, & mortuus *anno primo Sixti*, atque ita nec annum natalis ſui, nec annum obitus haberet. Paſcha quoque ejuſdem anni CXVII. quod celebratum fuit die V. Aprilis ſuperſtite Alexandro notari debuiſſet *ſub Sixto*. Sic antecedentium, & inſequentium Romanorum Pontificum natales, & obitus, Paſchata quoque, & res aliæ quæcumque in alienum tempus incurrerent. Si Chronicon totum hac methodo, quæ ex ſemel admiſſis S. Hippolyti regulis neceſſario dimanat, conſtructum eſſet, mira quædam oriretur, & inextricabilis annalium Eccleſiæ confuſio, certa Cardinum Pontificiorum momenta nulla eſſent, omnia denique luxata, & ſoluta extra ſuas ſedes dilaberentur. An vero Damaſus, ne legentes deciperentur, opus ſuum, ut programmati S. Hippolyti nunc fit, commentario præmunire debuiſſet, quo doceret, ſibi placuiſſe, præter Romanorum ſuorum ſolemnem morem, annos Pontificum a Kalendis Januariis deducere, eos qui majorem anni partem tenuerint, toto eo anno donare, res geſtas ſub eorum uno alteri tribuere, & novam annorum ſecundum hanc methodum ſibi ſuccedentium ſeriem texere?

Hæc quidem, ut ajunt, ex hypotheſi: nam Damaſus hiſce regulis Chronicon ſuum infarſit. Sed ſi ille, & Herodianus in exemplum Hippolyti adducuntur, & regulam huic affictam de numerandis annis cum anno Juliano, & de tribuendo anno integro ei Pontifici, ſeu Imperatori, qui majorem ejus partem transgreſſus eſt, vere illos obſervaſſe affirmatur; ut appareat conſequutionem, quæ ex hac regula elicitur, potuiſſe videlicet Hippolytum Paſcha anni 222. actum ſub Elagabalo ſignare Alexandri nomine, falſam eſſe, fuerunt

runt neceſſario exponenda abſurda & mala, quæ exinde orta in hiſtoriam ſacram, & profanam redundarent.

Rem iſtam ſemel adhuc urgebo; nam & Sanctorum Martyrum valde intereſt, ne in eorum acta regulæ Hippolyto adſcriptæ invadant. Siquidem acta Martyrum paſſim ſignantur annis Imperatorum, quos annos ſi demus poſſe intelligi perſcriptos ſecundum easdem regulas incerta plurima in Faſtis Eccleſiaſticis, & ambigua eſſe oportebit. Si enim potuit Hippolytus annos Alexandri numerare a Kalendis Januariis, & Paſcha referre ſub eo Imperatore, qui nondum regnabat; hoc ipſum potuiſſe facere quemlibet Scriptorem paſſionum Martyrum, licebit aſſeverare. Ita unusquisque arbitrio ſuo judicabit, hanc, vel illam eorum Scriptorum fuiſſe vel uſitatam computandi annos Principum rationem, vel Hippolyteam: & ſi alicubi annus primus notatus inveniatur, alter divinabit, Martyrem illum paſſum fuiſſe ſub illo Imperatore, cujus nomen acta præſeferunt: alter vero hoc accidiſſe contendet ſub ejus deceſſore. In annis ſubſequentibus eadem difficultas, & confuſio continget, nullo charactere, aut ſigno oſtendente, num anni numerati fuerint a die ſuſcepti Imperii, an a Kalendis Januariis cum anno Civili, ex quo unius ſolidi anni differentia emerget. Hinc campus novus patebit Heterodoxis criminandi Faſtos veteres Eccleſiæ, tamquam ex hoc etiam capite liqueat, nihil in iis eſſe certum, nihil conſtans, nihil non aliqua ſuſpicionis labe adſperſum.

Maneat ergo certumque ſit, Scriptores, & populos, quos in exemplum adduxit Cl. Vignolius, cum narrant quidquam geſtum ſub *regno alicujus*, intelligere, *hunc ipſum* regnare, non *alium*: & cum S. Hippolytus ſcripſit ANNO PRIMO IMPERII ALEXANDRI idibus Aprilibus factam fuiſſe XIV. Paſchalem, eam vere factam fuiſſe Imperante Alexandro, non Elagabalo.

CA-

CAPUT XII.

Iterum sibi contrarius Vignolius in exponenda anni nota quam S. Hippolytus suo Cyclo affixit. Uti in hoc, sic & in suo Chronico non annum Consularem, sed tantum annum 1. Alexandri notavit. Idem affirmant Eusebius & Hieronymus a Vignolio adducti. Probatur item ex Clemente Alexandrino. Argumenta Vignolii nullius momenti ostenduntur. Contra eundem defenditur mos Scriptorum ætate S. Hippolyti signandi annis Imperatorum, non Consulum. Inter hos Eusebius. Non jure queritur, se nullum Chronicon vidisse per annos expansos. Eo non est opus ad hunc priscorum Patrum morem cognoscendum. Tabula Consularis digesta, nullo nititur fundamento. Mos illorum temporum iterum demonstratur. Contraria argumenta diluuntur. Auctor bene distinxit librum S. Hippolyti de divisionibus gentium *a Chronico ejusdem. Julii Africani testimonium contra ipsum Vignolium facit. Quid per* seriem, *seu per* descriptionem temporum, *quam in opere suo de* Paschate *explanavit S. Hippolytus, sit intelligendum.*

CUm hactenus pro anno primo Imperii Alexandri Cl. Vignolius pugnaverit, atque illum modo Juliano scriptum in Cyclo suo ab Hippolyto fuisse contenderit; nunc contra initio capitis XIII. se putare ait, *nullam anni notam, neque forsan Imperii in eodem Cyclo expressam ab Hippolyto fuisse*: Rem tantam auctoritate Eusebii, ac S. Hieronymi fulciri censet, *ii siquidem*, inquit, *in Chronico solum, non autem in Cyclo annum primum Alexandri scriptum fuisse innuunt*. Præterea quamvis iidem Eusebius, & Hieronymus affirment, Hippolytum anno tantum Cæsareo usum, perduxisse scilicet Chronicon suum *usque ad annum primum Imperatoris Alexandri*; ipse tamen pro certo habet, Hippolytum in eodem Chronico una cum anno Imperii adnotasse etiam

tiam

tiam annum Consularem. Ita gravissimi scriptores in diversa trahuntur; semel, ut quod de uno dicunt, de altero dici nequeat: iterum, ut quamquam hoc non dicunt, id tamen dici debeat.

At ego fidem oculis negare nequeo, & cum videam in cathedra marmorea Cyclum S. Hyppoliti inscriptum *anno primo Imperii Alexandri*, in eodem Cyclo notatum non fuisse ab Hippolyto annum eundem primum, affirmare non audeo. Contra, cum legam apud Eusebium, & Hieronymum in Chronico adscriptum fuisse solum *annum primum Alexandri Imperatoris*, non possum in animum inducere fuisse etiam signatum annum Consularem. Quod ita esse docemur alio exemplo apud eundem Eusebium; qui de Clemente Alexandrino hæc scribit lib. VI. cap. 6. *Hic Clemens in primo Stromatum libro ordinem temporum describens, obitu Imperatoris Commodi computationem suam circumscribit*. Verba plane eadem usurpat Eusebius de S. Hippolyto loquens: *in quo temporum seriem describens, anno primo Imperatoris Alexandri computationem temporum circumscribit*. Uterque locus est ex versione Valesii. Idem ergo statuendum est de Hippolyto, ac de Clemente; nam de utroque eodem prorsus modo loquutus est Eusebius. Atqui certum est, Clementem nullos Consules in suis computationibus temporum posuisse, sed annum tantum Commodi Imperatoris; ergo nullos quoque consules posuit Hippolytus cum anno primo Alexandri. De Clemente patet ex ipso libro primo Stromatum, quem citat Eusebius, in quo a pag. 336. ad pag. 341. Editionis Coloniensis an. 1688. describens ordinem temporum per annos collectos, ab Adam, a Romulo, a Julio Cesare, ab Augusto, a morte Christi Domini, aliisque ab Epochis, computationem suam ubique *usque ad obitum Commodi* perducit, plane uti Eusebius tradidit. Nullos, ut hoc repetam, in Clemente vides Consules; nullos quoque in Hippolyto quisquam vidit unquam. Hinc exemplo hoc Clementis omnino eliditur exemplum aliud, quod a Chronico Paschali, seu Alexandrino vir Clariss. petit; atque etiam evane-

evanescit conjectura illa, nullo argumento subnixa, ut quamvis Eusebius, & Hieronymus de anno tantum primo Alexandri meminerint, fieri tamen possit, ut Consularem quoque annum consignaverint.

Ideo autem in primo opere dixeram, verisimile non esse, Hippolytum usurpasse annum Consularem, propterea quod *ea ætate mos invaluerat, ut qui temporum historiam texerent, non eam annis Consulum, sed Imperatorum inscriberent*. In quam rem exempla eorum temporum attuleram, primum Judæ ex Eusebio & Hieronymo, deinde, prælucente Pearsonio, Theophili, Clementis Alexandrini, Tertulliani, & demum ipsius Hippolyti. Impugnaturus eadem mea verba, quæ præfixit cap. XIV. Cl. Vignolius, se primum hunc morem scire non posse ait, quod nullum Chronicon per annos expansos, ut in eo Consules locum obtinere potuerint, ea ætate conditum inspexerit. *Unum tamen instar omnium testem gravissimum*, Julium nempe Africanum, se habere subdit, *qui falsum omnino istud esse diserte nos moneat*.

Primum non jure queritur vir doctus, se nullum Chronicon vidisse per annos expansos, cum videre potuisset Chronicon Eusebii, quod quamquam non ejus plane ætatis, morem tamen Scriptorum superiorum, a quibus sua hausit, probe demonstrat. In eo siquidem Chronico per annos expansos digesto, Eusebius perpetua, & constanti methodo annos Imperatorum apponit, nusquam memoratis Consulibus, nisi semel, aut iterum, nec quidem in annorum serie, sed in rerum gestarum narratione, ut cum obitum Virgilii recenset his verbis: *Virgilius Brundusii moritur, Sentio Saturnino, & Lucretio Cinna Cos.* Ille etiam in sua historia Ecclesiastica ubique sub solis Imperatorum annis consignat initia, & obitus Romanorum Pontificum, aliorumque Episcoporum, passiones Martyrum, ceterosque historiæ Sacræ eventus. Ut profecto mirum sit, Cl. Vignolium pag. 141. inter eos, qui per Consules annos numerarunt, etiam Eusebium recensuisse.

Præterea nihil opus est eo, quod optat vir Clarissimus,

Chronico per annos expanſos, ut cognoſci poſſit, num per Conſules, an per Imperatores priſci Patres tempora deſignaverint. Nam, præterquam quod non conſtat S. Hippolytum Chronicon ſuum per hujusmodi annos expanſos digeſſiſſe, ſiquidem tabula illa Conſularis quam exhibuit Vignolius pag. 120. ex ejus tantum ingenio prodiit; ſatis eſt quæcumque temporum deſcriptio ad oſtendendam ejus ævi conſuetudinem. Hinc morem ſuorum temporum probe demonſtrarunt Theophilus, Clemens Alexandrinus, & Tertullianus, quos adduxi poſt Pearſonium; quamvis ut apponit V. Cl. *hiſtoriam temporum per annos expanſos* non texuerint, ſed *aliquam tantum temporum* ſupputationem ab Adam ad ſuam ætatem perductam, deſcripſerint. In quo quidem eorundem ſcriptorum calculo per ætates, annosque collectos, verum non eſt, quod ille ſubdit, *locum nullum eſse potuiſse Conſulibus*. Nam, ut unius Clementis exemplo utar, recte is poterat, in ſupputatione temporum pro Imperatorum annis, annos Conſulum exhibere; ſicut inter cetera, *pro initio Imperii Claudii* Conſules Cajum, & Saturninum; pro *anno ſecundo Veſpaſiani*, quo Hieroſolyma exciſa narrat, eundem Veſpaſianum, & Titum, pro *decimo anno Antonini* Langum, & Meſſalinum, atque ubi ſæpius rationem temporum perducit *uſque ad mortem Commodi*, ſubſtituere Conſules *Falconem*, & *Clarum*. Quæ perpetua Clementis conſuetudo ſignandi tempora per *Imperatores*, uno, & altero exemplo, in quibus *Conſules* memoravit, nihil patitur detrimenti: uti nec lædit morem Tertulliani alterum exemplum mortis Chriſti, quam ille notavit cum Tiberii Cæſaris annis, tum Conſulatu duorum Geminorum. Porro veteres Patres morem hunc fortaſſe hauſerunt ex Evangeliſta Luca, qui initium prædicationis Chriſti, non Conſulum nota, ſed *anno* XV. *Tiberii Cæſaris* expreſſit. Hinc & ante Clementem conſuetudo hæc obtinuit; ſiquidem ille refert lib. primo Stromatum pag. 340. fuiſſe aliquos, qui natalem Chriſti Domini in *annum* XXVIII. Auguſti conferebant; Baſilidiani dicebant ejus baptiſmum eſse *quintum decimum annum Tiberii*, atque alii cenſebant eum paſſum

ſexto

sexto decimo anno ejusdem Imperatoris. Nusquam ulli Consules. Et Clementi Synchronus S. Irenæus lib. III. cap. 25. Nativitatem Domini *circa primum, & quadragesimum annum Augusti Imperii* collocat. Sed & acta Martyrum antiquissima passim notantur Cæsareo temporum charactere; cujus rei exempla non profero, quod ubique sint obvia.

Quod porro testimonium ex ipso Hippolyto desumseram pag. 85. qui librum *de divisionibus gentium* concludit *in annum* XIII. *Imperii Alexandri*, ita Cl. Vignolius accipit, quasi ego hunc librum eundem esse ac *Chronicon*, cujus meminit Eusebius, & S. Hieronymus, scripsissem. At ego aperte, ac perspicue utrumque opus distinxi his verbis pag. 86. *Quis credat Hippolytum diversum esse ab Hippolyto, ut nimirum in hoc Chronico de divisionibus gentium, consignaverit Pascha sub annis Imperii Alexandri nulla prorsus Consulum mentione facta, & in* ALIO CHRONICO, de quo scilicet Eusebius, & Hieronymus, *atque in Cyclo Paschali, ut vir clarissimus opinatur, Consulum notam usurpaverit?* Ita ego scripsi, non quod ille me scripsisse putavit. At denuo locum non esse *Consulibus*, neque in hoc Chronico *de divisionibus gentium* ille inculcat; quia per annos expansos digestum non est; cui nos iterum reponimus, satis esse ad consuetudinem ejus ævi demonstrandam, ut quandocumque tempora describantur, hoc fiat per annos *Imperii*, non per *Consules*, uti in eo Chronico non semel, sed sæpius factum legimus.

Nunc ad Julium Africanum accedamus, *testem illum omnium gravissimum, qui falsum omnino esse diserte nos monet*, ævo Hippolyti morem invaluisse, ut qui temporum historiam texerent, non eam annis *Consulum*, sed *Imperatorum* inscriberent. Ille ergo, inquit Cl. Vignolius, qui eodem tempore, *Historiam temporum*, quo S. Hippolytus *Temporum Canones* scribebat, ut ex Georgio Syncello proditum est pag. 107. *Pastorale*, inquit, *Jacob tentorium Edessæ usque ad Antonini Romanorum Imperatoris tempora servatum, fulmine dejectum est, ut testis est Africanus, qui ad Imperium usque Antonini deduxit historiam*. Hactenus nullos *Consules*

habemus; imo *Cæsarei* temporis characterem. At, subdit V. C. in ea historia Consularibus etiam annis usum illum fuisse, ex eodem Syncello abunde constat pag. 212. cujus verba non hoc loco, sed infra pag. 157. recitat, quæ hujusmodi sunt: *Hujus Phileni tempore consulatum Romæ gerebat* GRATUS *Severianus* (lege Sabinianus), *&* SELEUCUS, *ex iis, qui circa Bruti ætatem Regibus exactis creati sunt Consules* 725. numero usque ad vulgarem mundi annum 5723. *ut auctor est Africanus, qui Antonini Augusti fuit annus tertius*. Quare Scaliger, sequitur vir doctus, in Eusebii Chronico (imo in notis ad fragmenta Græca Eusebii) pag. 429. ait, *Africanus enim scribit, se terminasse opus suum* GRATO, *&* SELEUCO CONSULIBUS *anno tertio Antonini Aviti, qui Elagabalus dictus fuit*. Ægidius Bucherius in Can. Paschal. Victorii cap. 13. pag. 234. *Julius Africanus*, inquit, *illustris Chronographus Chronicon se suum perduxisse scribit ad initium Olympiadis* 250. *quo* GRATUM *&* SELEUCUM *Consules fuisse testatur*. Pagius item in Crit. Baron. ad annum Chr. 220. num. 11. *imo ipsemet Africanus docet, se anno legationis suæ absolvisse opus suum* GRATO *&* SELEUCO Cos. Et Card. Norisius in Epist. Consul. pag. 132. *Alterum*, inquit, *cognomen prioris Consulis prodidit Julius Africanus, qui suum Chronicon clausit* CONSULIBUS, *ut ipse ait*, GRATO SABINIANO, *&* SELEUCO.

Ad hoc ergo Testem gravissimum Africanum inducit Cl. Vignolius, ut probatum faciat, ipsummet Africanum docere se opus suum terminasse *Grato, & Seleuco Consulibus*. At cur *verba ipsa Africani* nobis non obtulit, sed recentiorum testimoniis usus est? Nam certe ea *verba Africani*, quæ nuper ex duobus Syncelli locis adduxit, probant quidem, Africanum perduxisse historiam suam usque ad Imperium Antonini Elagabali, & Phileni tempore anno Mundi 5723. fuisse Romæ *Consules Gratum, & Seleucum*; sed eum terminasse eandem Historiam *Grato, & Seleuco* Cos. nequaquam probant. Verum neque doctissimi illi viri locum *Africani* produxerunt, in quo conceptis verbis, ut ipsi affirmant, ille

le prodat, se clausisse opus suum *Grato & Seleuco Consulibus*. Nam Scaliger post verba recitata, refert se ad ea, quæ ante notaverat num. CCXXXVII. Ad hunc vero numerum in Animadversionibus pag. 21. nihil aliud adducit, quam textum Græcum Syncelli, quem paullo ante ex ejus pag. 107. retulimus, in quo nulla prorsus Consulum mentione illata, tantum ait, *Africanum ad Imperium usque Antonini deduxisse historiam*. Norisius, & Bucherius ipsis verbis Scaligeri loquuntur. At Pagius plura insuper addit, & postquam narravit ex Eusebio, Africanum scriptorem temporum legationem pro Nicopoli suscepisse, hæc subjicit: *Imo Africanus docet, se anno legationis suæ absolvisse opus suum Grato & Seleuco Cos. ut videre est apud Georgium Syncellum pag.* 212., *ubi & dicit Africanus se perduxisse opus illud usque ad annum mundi secundum Alexandrinos* 5723. *Incarnationis vero secundum eosdem* 223. *qui uterque annus cum anno æræ vulgaris* CCXXI. *convenit*. Atqui ego apud Syncellum eadem pagina 212. neutrum, quod Pagius dicit, invenio, nec scilicet *Africanum* docere, se anno legationis suæ, neque *Grato*, & *Seleuco Consulibus* absolvisse opus suum. Verba ejusdem paginæ paullo ante recitavi: nec quicquam aliud habet ibi Syncellus. Etsi vero id ex conjectura deduci posset, ut quoniam Syncellus pag. 107. ut supra vidimus, tradit Africanum ad *Imperium usque Antonini historiam suam perduxisse*, ea terminata fuerit *Grato*, & *Seleuco Cos.* qui fuit annus tertius ejusdem Augusti, & Mundi secundum Alexandrinos 5723., non ideo tamen poterat Pagius, & tres alii viri doctissimi affirmare, Africanum docere, *se absolvisse opus suum Grato*, & *Seleuco Consulibus;* nec Vignolius testem Africanum appellare ejus rei, quam Africanus nequaquam dixit.

Præter hæc, nullis Consulibus Africanum terminasse opus suum, manifeste evincit etiam Photius, qui in excerptis ejusdem operis Cod. 38. testatur, *Africanum* deduxisse *historiam* suam *usque ad Macrini Imperatoris tempora*, *quo tempore*, *ut idem Africanus affirmat*, *hoc Chronicon absolutum est*,

est, *annorum scilicet* 5723. Dixerit ergo Africanus, se Chronicon suum absolvisse anno mundi 5723., nequaquam dixit, *Grato*, & *Seleuco Consulibus*. Porro quod Photius ait, Africanum deduxisse historiam suam usque ad *Macrini* Imperatoris tempora, falsa est ejus computatio, qui annum mundi 5723. cum *Imperio Macrini* concurrere arbitratus est, cum re vera concurrat cum anno tertio Antonini Elagabali, ut Syncellus recte supputavit. Quam Photii hallucinationem pridem notavit Scaliger ad Eusebium num. 2237. pag. 232. alterius editionis.

Nusquam igitur constat, Africanum testari, se absolvisse Chronicon suum *Grato*, & *Severo* Consulibus; quamvis anno Mundi 5723., Christi 221., quo hi Magistratum gesserunt, id fortasse contigerit. Sed hoc erat, quod Cl. Vignolius probandum ex Africano gravissimo teste susceperat, quodque ad ejus scopum pertinebat, illum scilicet expressis Consulum eorundem nominibus clausisse opus suum. Quod cum nequaquam probaverit, ostendere proinde non potuit, *falsum omnino* esse, quod a nobis erat propositum, ævo S. Hippolyti morem invaluisse, *ut qui temporum historiam texerent*, *non eam annis Consulum*, *sed Imperatorum inscriberent*.

Porro, præter Syncellum & Photium, qui Chronicon Africani, ut dixi, anno Cæsareo conclusum asseverant, alia etiam testimonia suppetunt, ex quibus apertum fit, Africanum *Imperatorum* annis, non *Consulum*, tempora designasse. Primum est ejusdem Syncelli pag. 308. ubi ex Africano narrat, Cornelium Gallum Ægypto Præfectum Thebas subvertisse, *quod* inquit, *Romanorum Monarchiæ & Imperii* (scilicet Augusti) ANNO XI. (legendum XVI.) *contigit*, *Olympiadis vero* CLXXXVII. *anno* IV. Rursus pag. 323. Africanum, ait conferre mortem Christi Domini *ad* SEXTUM ET DECIMVM ANNVM TIBERII CAESARIS, *qui fuit Olympiadis* CCII. annus secundus. Demum Africanus, teste S. Hieronymo in Danielem cap. 9. in computatione hebdomadum semel, atque iterum usurpat annum

QUIN-

QUINTUM DECIMUM TIBERII CAESARIS; & apud Apollinarium tradit arma Romana contra Judæos OCTAVO CLAUDII CAESARIS ANNO fuisse correpta. Omitto, Africanum passim annos computare per Olympiades, ut pluribus in locis Syncelli videre licet, quod ostendit eum *Consulares* annos non adhibuisse.

Quid per *Seriem*, ut habet Eusebius, seu per *descriptionem temporum*, ut S. Hieronymus, quam in opere suo de *Paschate* iisdem testibus explanavit S. Hippolytus intelligendum sit, postrema est Cl. Vignolii in capite XV. disquisitio. Ego quidem non *Chronicon* aliquod, seu solam *Chronologiam* hoc opus complexum fuisse, sed *Paschalium* etiam temporum descriptionem, & seriem, cui canonem sexdecim annorum de *Paschate* Hippolytus adjecit, opinatus sum: quod cum Doctrina Cangii, quem tunc non videram, in præfatione Chronici Paschalis num. XIII. & XIV. ad unguem propemodum convenit. Ille enim docet, *duplicem* conscribendorum Paschaliorum rationem fuisse: altera videlicet in Paschalis festi diei investigandæ methodo, tabulis etiam in idem argumentum confectis, tota versatur, cujusmodi est noster S. Hippolyti Canon sedecenalis: altera conscribitur in methodi formam, qua Paschales, aliaque festa, & cetera, quæ in Ecclesiasticis computis recentioribus disquiri solent, investigantur, qua ratione usus fuit Hippolytus in opere de *Paschate*, de quo Eusebius, & Hieronymus, & de quo nostra agitur quæstio: in quo scilicet opere (prosequitur Cangius) digestis a mundo condito ad sua usque tempora elapsis annis, sedecennalis Cycli a se reperti in inveniendo Paschate methodum firmavit, descriptis subinde Paschalibus festis, Legalibus forte, & Christianis: cui operi demum Canonem sedecennalis Cycli præfixit.

Placuit viri doctissimi integrum locum referre, ut liqueat, me prorsus paria cum ipso scripsisse, ut percurrenti prioris operis mei paginam 93., & 94. patebit; nisi quod addidi, egisse etiam fortasse Hippolytum in eo opere de anni Solaris, & Lunaris periodis, de revolutione Feriarum, de Neo-

me-

meniis, terminis Paſchalibus, aliiſque ad rationem Paſchæ pertinentibus. Cum ergo ducem tantum habeam, quem ſequar, ac Vignolio proponam, ejus auctoritati utrique noſtrum acquieſcendum eſse arbitror.

CAPUT XIII.

Dionis locus in quo Imperii Elagabali annos definit, eſt indubitatæ fidei & auctoritatis. Cum eo conſentiunt Xiphilinus, Zonaras, Cedrenus, & Glycas. Item Lampridius, & Eutropius. Vignolius ſibi contrarius in hujusmodi annis aſsignandis. Dionis vulgata lectio eadem fuit etiam ævo Xiphilini, Zonaræ, Cedreni, & Glycæ. Imo ſub ipſa fere Dionis ætate. Fruſtra in antiquiſsimo illius fragmento Vaticano menda quærit. Item fruſtra Elagabali annos cogitat expungere, eo quod non reperiantur in excerptis Conſtantini Porphyrogennetæ. Iterum ſibi non conſtans. Cedreni, Zonaræ, & Glycæ exemplaria minime corrupta in aſsignandis annis Elagabali; imo cum Dione mire conveniunt. Textus Dionis iterum incorruptus probatur. Programma S. Hippolyti evincit, Elagabalum quartum Imperii annum non exceſsiſse; nec occubuiſse poſt diem XVI. *Maii ann.* 222. *Ideo nec Pagius, nec Auctor nimium Dioni tribuerunt; nec ejus auctoritatem numismatum dignitati prætulerunt.*

UNUM erat in hac concertatione potiſſimum, quod mihi defendi, Vignolio labefactari maxime intererat, Dionis nempe locus, in quo Imperii Elagabali tempus deſignatum eſt ac definitum. Antoninus, ait ille in fragmento inſerto lib. LXVIII. pag. 907. tempus in Imperio exegit ad ANNOS TRES, ET NOVEM MENSES ET DIES QVATVOR, *numerandum a prælio* cum Macrino *quo poteſtatem protinus omnem adſequutus eſt*. Hiſtorici coævi, & graviſſimi, qui annos, menſes & dies enumerat, aucto-

ritas

ritas & fides in ſuſpicionem adduci nequit. Eosdem prorſus numeros exſcripſit Xiphilinus in excerptis Dionis, & Zonaras, Cedrenus, & Glycas in ſuas hiſtorias traduxerunt, ut in alio opere pag. 97. oſtendi. Conſentiunt Lampridius & Eutropius, quorum primus prope triennium, alter biennium & octo menſes, ab ejus videlicet acceſsu ad Urbem, numerant. Pluribus & certioribus munimentis tempus Imperii Elagabali niti non poterat.

At Cl. Vignolius, cui viſum eſt ultra annum quartum ejusdem Imperii terminos proferre, errorem in Græcum Dionis codicem irrepſiſse *certum* habuit in priore diſsertatione pag.89. & 90., ac librarios illum vitiaſse, *numerosque partim transpoſuiſse, partim depravaſse;* ita ut legendum omnino ſit, Elagabalum fuiſse in Imperio *annis quatuor, & menſe uno, & diebus tribus.* Nunc vero pag. 155. ab hac conjectura libenter ait, ſe recedere, quod animadverterit, eam minus cum Herodiano conſentire: adhuc tamen contendit textum Dionis vulgatum in manifeſto errore cubare, de quo quidem integrum eruditis rectius judicandi locum relinquit. Ita a ſe ipſo iterum deſciſcit, ut Herodianum *tueatur*, cui innitebantur rationes omnes programmatis S. Hippolyti. Atqui ut Dio cum Herodiano conſentire dici poſſit, affirmandum eſſet, Dionem ipſum quadriennium plenum dediſse Elagabalo: quod profecto eruditi, ad quos ille judicium defert, nunquam admiſerint, qui norunt omnes, Dionem in annis Imperatorum computandis non rotundo annorum numero, uti conſuevit Herodianus, uſum fuiſſe, ſed diligentiſſime adnotaſſe præter annos, menſes quoque & dies.

Quoniam igitur neque amplius arridet prior emendatio, ut in textu Dionis transpoſitis & inverſis numeris legi debeat *annus quartus cum menſe uno, & diebus tribus*, neque quadriennium integrum probari poſſit, nihil aliud reſtat, quam ut vulgata lectio quam ante ſeptingentos annos Xiphilinus, Zonaras, Cedrenus, & Glycas in Codicibus Dionis agnoverunt, ab eruditis quos V. Cl. appellat judicio ſuo aſſeratur, confirmetur, & ſanciatur. Sed quid ego de ſe-

ptingentis annis? Ante alios septingentos annos & sub ipsam Dionis ætatem, ejus Codices eandem plane lectionem præseferebant, quam ævo Xiphilini, Zonaræ, Cedreni, Glycæ, & usque in hunc diem constantissime retinuerunt. Fragmentum ipsum Dionis, quod Leunclavius Editioni suæ Hannovianæ pag. 907. inseruit, asservari adhuc in Bibliotheca Vaticana Cod. 1288. docet nos ipse Vignolius cap. IX. pag. 91. in Codice, qui reliquias librorum ejus LXXVIII. & LXXIX. continet, huncque esse membranaceum, grandioribus literis perpetuo scriptum; *quem Fulvius Ursinus, cujus erat, tantæ quidem antiquitatis esse censuit, ut sibi fere ipso Dionis ævo exaratus videretur*. Ita vir doctus.

At nos verba ipsius Ursini referamus in notis, quas Leunclavius pag. 1052. subjecit Dioni a se Edito Hannoviæ ann. *1606.* & verba ejus hæc sunt: *Hoc fragmentum libri, ut ex inscriptione apparet,* LXXVIII. *&* LXXIX. *extat apud me in membranis, scriptum literis, quas majores & vere antiquas appellant: quasque supra mille ab hinc annos, hoc est, ipsa fere Dionis ætate, stilo exaratas fuisse, ex ipsa literarum forma, qua temporibus illis utebantur, intelligere facile possumus*. In hoc ergo fragmento vetustissimo, quod inseruit Leunclavius eidem Editioni suæ pag. *907.* adsunt verba in vestibulo hujus capitis allata, quibus Imperium Elagabali intra *annos tres, menses novem, & dies quatuor* a pugna cum Macrino concluditur.

Fragmenti hujus veluti sacram auctoritatem cum V. C. fateatur, valde tamen torquet se, ut nodum in scirpo invenire possit. Nam pag. 153. ejus verbis græcis allatis, syllabas quasdam & voculas excutit, & in judicium vocat, ut earum testimonio fragmentum hoc a sequiori manu emendatum fuisse evincat. Quæ sane non moror, ut liberum cuique sit judicare, num quicquam hujusmodi tricæ numeris annorum Imperii Elagabali officere possint: atque eo potissimum, quod ille statim ab ejusmodi conjecturis se removet: *quamvis igitur*, ait pag. 155. *jam inde ab initio, hoc est sæculis amplius septem ante Cedrenum, Xiphilinum, Zonaram,*

ram,

ram, & Glycam, locus iste Dionis ita male acceptus a librariis fuerit, ut de illius integritate haud temere suspicari, dubitareque potuerim, numeros illos partim corruptos, partim transpositos fuisse, me tamen ab ejusmodi conjectura, quæ, ut postea animadverti, cum Herodiano minus quidem consentit, libenter removeo: integrumque eruditis de manifesto ejusmodi Dionis errore rectius judicandi locum relinquo. Ante tamen majus quidpiam excogitaverat, ut nimirum annos, menses, & dies Imperii Elagabali a Dionis textu penitus expungeret, quod in excerptis Dionis Constantini Porphyrogennetæ a Valesio editis eorum enumeratio non appareat: tanquam excerptorum mos is & propositum non sit, hoc illud, ut sibi videtur, obtruncare, decidere, & omittere. Sed neque ipse ita Constantino fidit, ut ejus verba genuina esse Dionis, quæ vero non solum in exemplaribus Cedreni, Zonaræ, Glycæ, & Xiphilini, sed etiam in vetustissimo fragmento Vaticano habentur, insititia videri, affirmare velit. Ita, tot cogentibus argumentis, quæ vulgatum textum Dionis communiunt, & ab omni suspicione vindicant, sibi ipsi nusquam certus est & constans.

Quæ modo exemplaria Cedreni, Zonaræ, & Glycæ ubi ex Dione annos, menses, & dies Imperii Elagabali recensent, damnare non sustinuit vir Clarissimus, diversis studiis & affectibus corrupta prorsus & depravata pag. 147. & seqq. pronunciat. Cum enim ego pag. 90. dixissem, credibile non videri Codices Dionis, in annis Imperii Elagabali etiam ævo Cedreni, Zonaræ, & Glycæ corruptos omnes fuisse, ut imo hoc credibile faciat, tabulam adornat pag. 149. in qua exscriptis numeris annorum Imperii Cæsarum omnium ab Augusto ad Elagabalum, qui ab tribus illis Scriptoribus & a Dione notantur, quam tum illi non cum Dione solum, sed etiam inter se, pugnent, ob oculos ponit. At si, ubi numeri illi pugnant vel cum Dione, vel inter se, conjici potest, alterutrum eorum corruptum fuisse; certe ubi non pugnant neque inter se, neque cum Dione, sed omnes invicem consentiunt, fateri oportet neutrum eorum corruptum,

ſed omnes integerrimos ad nos perveniſſe. Atqui in tabella, cum Dio, Cedrenus, Zonaras, & Glycas in numeris annorum Imperii ceterorum Auguſtorum identidem vitio aliquo ſcatere conſpiciantur, in annis tamen Elagabali conveniunt omnes, eique miro conſenſu tribuunt annos III. menſes IX. & dies IV. Ergo, quidquid de ceteris Auguſtis ſuſpicari velimus, profecto manifeſtum fit, numeros Imperii Elagabali tum in Dione, tum in aliis ab eorundem ævo uſque ad noſtrum plane incorruptos & integros fuiſſe transmiſſos.

Hinc vero ut dici poſſit, *errorem* in textu Dionis *undique patere, & certis atque idoneis teſtimoniis ſatis ſuperque demonſtratum eſse*, mihi ſane compertum eſſe nequit. Nam, ſi quæ objecta erant, nihil admodum nocent, & ſtat ideo immota fides vetuſtiſſimi fragmenti Urſiniani, & Codicum Dionis ævo Cedreni, Zonaræ, & Glycæ ſancita auctoritas; jam contra undique patet, & demonſtratum eſt, Elagabalum regnaſſe annos tres, menſes novem, & dies quatuor. Ad hoc autem incorruptum Dionis teſtimonium ſi accedat programma S. Hippolyti, ex quo, mortem Elagabali contigiſſe ante diem XIII. Aprilis ann. 222. capite antecedente oſtenſum eſt, neque idem Auguſtus quadriennium Imperii tranſilire potuit, nec fato occumbere poſt diem XVI. Maii ejusdem anni.

Si hæc ita ſunt, quid facimus nummis Tribunicia Poteſt. quinta Elagabali ſignatis, ad quos V. C. tum initio hujus capitis, tum alibi ſæpius provocat?

Hinc neque ego, nec Pagius nimium Dioni tribuimus, neque illum dignitati numiſmatum præferimus, de quo nos V. C. arguit initio hujus capitis. Maneat nummis illis publica Romani Senatus auctoritate percuſſis ſua fides: at nobis interdictum non ſit, ſi quandoquidem nummi ipſi cum veterum certiſſimis monumentis pugnant, eos congrua interpretatione temperare, & hinc inde concordiam ſancire. Feſtivum enim illud eſt quod dicitur pag. 146. & in ſcripto ad me miſſo, Romanos, quoties notam hanc V. ſcribebant, quinque

que vel quintum, non quatuor vel quartum per eam intelligi posse existimasse. Id quidem & nos scimus, & numerum v. ex nummis Elagabali nunquam expungere cogitavimus. Sed si licere sibi arbitratus est Cl. Vignolius *annum* I. Alexandri in marmore S. Hippolyti literis rotundis expressum, modo una ratione, modo alia interpretari, cur nobis vetitum erit, Tribunitiam Pot. v. Elagabali nummis inscriptam congrue explicare, & cum veritate historica, gravissimorumque Scriptorum testimoniis componere?

Caput XIV.

Præsentis quæstionis conclusio, atque complexio. Elagabalus in vivis esse non poterat post diem XVI. *Maii A. C.* 222. *Ejus obitum, atque exordium Alexandri collocandum esse in initium Martii mensis. Tempus Imperii Elagabali; & a quo cardine petendum. Vignolii sententia de morte Elagabali, & initio Alexandri a Valsechio discussa; iterum impugnatur. Ea admissa maxima oritur confusio in Chronologia insequentium Imperatorum. Iterum eorundem Cæsarum epochæ illustrantur; & mors Elagabali in diem* XI. *Martii firmatur an.* 222. *Tempus mortis Maximini inquiritur, & firmatur. Valsechius Vignolii de hoc tempore opinionem confutavit. Ut hoc habeatur, tempus perquiritur quo e Thracia in Italiam contendit, & Aquilejam obsedit. Circa medium Februarii mensis obsidionem Aquilejæ aggreditur. Solvitur objectum Vignolii. Quid per* anni tempore *Herodianus intellexerit. Cur idem Herodianus* diuturnam, *atque* inexplicabilem *vocet obsidionem Aquilejæ. Argumenta a Vignolio opposita iterum a Valsechio rejecta. Ex his firmatur tempus necis Maximini, Elagabali, nec non mortis, & initii Imperii Alexandri. Hinc recte nummi Elagabali Trib. ejusdem Potestate V. signati cum annis ejus Imperii fuerunt in concordiam redacti.*

Post-

POstquam universum Cl. Vignolii opus decursum a nobis est, atque ejus argumenta singula, quibus cum res suas tueri, tum nostras invadere contendit, satis sunt, nisi me fallo, labefactata atque eversa, constare jam puto, Antoninum Elagabalum in vivis esse non potuisse post diem XVI. Maii A. C. 222. ut vir doctus existimavit; sed ejus obitum, atque exordium Severi Alexandri esse omnino collocandum in Martii mensis initium, quod mihi in priore atque in hac Dissertatione propositum fuit.

Siquidem vindicato a novis atque alienis interpretationibus programmate Cycli Paschalis S. Hippolyti, quam ob rem suscepta præcipue a nobis hæc est cum Cl. Vignolio disputatio, sublatoque lapidis Panviniani impedimento, dubium amplius esse nequit, Alexandrum die XIII. Aprilis ejusdem anni 222. jam Imperio potitum fuisse. Hinc cum Dionis locus, tantopere exagitatus, suis jam temporum characteribus constet, ut capite antecedente demonstratum est, diem etiam ipsum quo extinctus est Elagabalus & Alexander inauguratus, in tuto positum agnoscimus. Quippe numeratis diebus quatuor supra menses novem, & annos tres a die pugnæ cum Macrino, quæ commissa fuit die VII. Junii an. 218. venimus ad diem undecimam Martii emortualem Elagabali. Ad hoc vero constabiliendum tempus mire confert Eutropius, a quo, Vignolio ipso adstipulante, certissimus sumitur mortis ejus dies. Etenim cum Elagabalus, eodem teste lib. 8. cap. 13. post adventum transegerit Romæ annos duos atque octo insuper menses, adventus vero conferendus sit ad Julii mensis initium, quod capite primo liquido probatum fuit, interitus ejus non ultra exordium ipsum Martii an. 222. prorogari potest.

Hinc errore fallitur Cl. Vignolius, qui cæsum Elagabalum, suffectumque ei fuisse Alexandrum post diem XVI. Maii, imo circa initium Julii an. 222. scribit. Cui sane opinioni plura sunt adhuc quæ repugnant, eamque a vero prorsus discrepantem faciunt. Hæc quidem in opere suo postre-

mo

mo maxima eruditionis ubertate, atque ingenii acumine pertractavit Cl. Valsechius, & Cl. Vignolio luculentissime objecit; ut videri possim actum agere, atque ejus me armis munire, si denuo in aciem singula producerem. Sed cum olim eadem propemodum argumentationum capita ipse quoque, quod sancte profiteor, paravissem, facere nequeo, quin quædam ex his saltem delibem, addamque alia quæ ad viri docti firmandas objectiones inservire possint.

Ille itaque pag. 19. novem Severi Alexandri leges ex Codice Justiniani protulit, quæ datæ sunt anno ejus Imperii primo a die XXV. Martii & per subsequentes menses Aprilis & Maii usque ad diem XVI. Junii. Ergo intra hæc duo extrema jam decesserat Elagabalus, & regnabat Alexander. Certum vero est, has leges, ut V. C. monet, editas fuisse ab Alexandro primo Imperii sui anno, hoc est Ch. 222. quo Consulatum gesserant Antoninus Elagabalus IV. & ipsemet Alexander; qui ideo in iis subscribitur solus hoc modo, *Alexandro Aug. Cos.* quia nomen Elagabali jussu Senatus ab annalibus erasum fuerat. Addo, id etiam deduci posse ex ordine, quo leges in Codice disponuntur. Nam sub quolibet Imperatore Consulatus sunt positi secundum seriem annorum succedentium. Unum & alterum exemplum Alexandri profero. L. I. *de accusation.* lib. IX. Cod. tit. 2. data legitur, III. *Kal. Aug. Alexandro A. Cos.* L. II. XI. *Kal. Dec. Alexandro A. Cos.* Lex vero III. quæ statim sequitur, subscripta est, IIII. *Non. Novemb. Maximo* II. *&* *Æliano Coss.* Hi Consules annum 223. aperuerunt. Priores igitur leges datæ sunt anno antecedente 222. Alexandri primo. Libro quoque VIII. tit. 45. *de evictionibus* quatuor extant leges datæ *Alexandro A. Cos.* post quas subsequitur alia signata iisdem Consulibus *Maximo* II. *&* *Æliano*. Præterea aliis in annis, in quibus Alexander Consulatum gessit, cum collega subscribit, ut in L. VII. *de testamento militis*, quæ data legitur *Alexandro A.* II. *&* *Marcello Coss.* Quod solus Alexander in recitatis legibus reperiatur, non alia est ratio quam,

quam, quia ejus Collega Elagabalus omiſſus fuit.

At quoniam ab Alexandri epocha pendere terminos nonnullorum inſequentium Imperatorum monuerat Cl. Vignolius in priore Diſſertatione pag. 7. ſatis non prævidit, quantam cladem eorundem Cæſarum Chronologiæ eſſent illatura ea, quæ de ejusdem Alexandri exordio atque interitu literis mandavit. Hoc a me jam indicatum eſt cap. 6. & Cl. Valſechius lato calamo egregie demonſtravit a cap. IV. ad VI. & rurſus initio cap. XVI. Si enim Alexander circa menſem Julium an. 222. inauguratus, atque initio Septembris aut Octobris an. 235. extinctus eſt, Maximini mors prorogari debet uſque ad menſem Octobrem an. 238. nam Maximinus tertium Imperii annum exceſſit, ut ejus nummi cum TR. P. IV. docent. Jam vero poſt Maximinum Balbinus & Pupienus tres circiter menſes regnarunt, teſte Zonara & Eutychio, utque res ab eis geſtæ ex Herodiani narratione poſtulant. Balbinus ergo & Pupienus non ante exitum Decembris an. 238. interempti fuiſſent, & Gordianus III. in eorum locum ſuffectus. Sed hoc falſum: nam illi trucidati ſunt dum agerentur ludi Capitolini. At excuſſis & perpenſis ſingulis opinionibus, quæ de tempore horum ludorum feruntur, Valſechius poſt Petavium oſtendit actos eos fuiſſe æſtiva tempeſtate. Rurſus Gordiani exordium collocari nequit in Decembrem exeuntem anni 238. quia extant duæ ſupra triginta ejus leges, quas recitat Valſechius pag. 53. datæ omnes ante Idus Octobres ejusdem anni 238. *Pio & Pontiano Cos.* Hinc ſi Gordianus cœpiſſet Imperium Decembri menſe, in idem tempus anno 244. ejus obitus eſſet figendus, eo quod annos circiter ſex regnaverit. At vero prorſus alienum hoc eſſe docet Valſechius pag. 56. exhibitis duodecim legibus Philippi ejus ſucceſſoris, quæ ſubſcriptæ apparent ante Idus Octobres anni ejusdem 244. *Peregrino & Æmiliano Cos.* quarum duæ datæ ſunt die XVI. Junii, altera die XIX. atque altera die XXX. ejusdem menſis. In unum coacta tot inſcriptionum auctoritas, quamquam in dubium vocari nequeat, certiore

adhuc

adhuc munimento firmanda mihi eſt. Extat Romæ in hortis Barberinis hoc Epigramma, quod exhibet Fabrettus domeſticarum Inſcript. lib. IV. pag. 339.

VICTORIAE. REDVCIS. D. D. N. N.
. . . .
PII. FELICIS. AVG. ET. OTACI
LIAE. SEVERAE AVG CON
IVGI. D. N. MILITES. LEG. II.
PART. . . . . P. F. F.
AET. Q. M. COCLATINO. AD
VENTO. COS. QVORVM. NOMI
NA. CVM. TRIBVS. ET. PATRI
. . S. INSERTA. SVNT. DEVO
. . I. NVMINI. MAIESTATI
. . VE. EORVM. D. X. K. AVG. PERE
. . RINO. ET. AEMILIANO. NHIS
. . . ET. EVOK. AVGG. NN. CVRA. AGE
. . E. POMPON. IVLIANO. R. LEG. EIVS

Conſules Peregrinus & Æmilianus annum Chr. 244. monſtrant: quo anno Gordianus occiſus & Philippus proclamatus eſt Imperator. Hic vero, non primus, in parte exeſa, ſive detrita latet; ſiquidem literæ illæ LIAE & ſubtus IVGI dicatum marmor Philippo & OctaciLIAE *Severæ* ejus CONIVGI produnt. Ergo duobus ſaltem menſibus ante *Diem* X. *Kalendas* AVGVSTAS, ſeu 23. Julii, quo die ex Meſopotamia jam Romam pervenerat nuncius, Imperium adeptus erat Philippus, & Gordianus obierat; nimirum circa dimidium menſis Maii an. 244. quam Inſcriptionem exſcribendam diligentiſſime curavi.

Hæc cum ita ſint, nequit mors Alexandri conferri in Septembr. vel Octob. menſem an. 235. quod in hac Diſſertatione veluti fundamentum ſuarum hypotheſium præſtruxit Vignolius; ſed neque in diem XX. Julii menſis ejuſdem anni, quod in priore opere ſtatuerat. Nam retroactis uno vel duo-

S bus

bus mensibus, quot intercurrunt ab extremis Julii ad Septembrem vel Octobrem, eodem fere modo tempora Maximini, Balbini, Gordiani, & Philippi extra suas sedes dilabantur. Hinc statutum ab erudito viro tempus necis Elagabali, atque inaugurationis Alexandri, quod tempus ab hujus pendet interitu, labefactari necesse est, atque evanescere excogitatam ab eo rationem explicandi Tribuniciam ejusdem Elagabali Potestatem quintam.

Ut vero tempus idem mortis Elagabali, quod nos in diem undecimam Martii ann. 222. conjecimus optime convenire cum temporibus succedentium Imperatorum ostendamus, eorumdem epochæ, ut ante fecimus, sunt percurrendæ. Ergo si die undecima Martii an. 222. Elagabalo suffectus est Alexander, atque is annos tredecim, & dies novem regnavit, uti ex Eutropio, Lampridio, duobusque Victoribus ostendimus, mors ejus incidit in diem XX. Martii ann. 235. Jam Maximinum ultra tres annos regnasse diximus, seu *triennio* & *paucis diebus*, ut tradit Eutropius: quare ejus mors concurrit cum initio Aprilis an. 238. Ab hoc capite ducti dies minus quam nonaginta ex Zonara, Balbini & Maximini obitum conferunt ad exitum Junii ejusdem anni, hoc est circa Solstitium Æstivum, quo ludi Capitolini agebantur. Nam ludos hos circa Solstitium commissos fuisse, verum omnino arbitror; quippe qui a Domitiano ad exemplum Olympicorum instituti sunt. Plura atque egregia de illis commentatus est Cl. Vallechius.

Post Balbinum & Maximinum Gordianus *Romanum suscepit Imperium*, inquit Herodianus postremis verbis Historiæ suæ. Regnavit annos sex, ex Capitolino in Gordianis cap. 31. Eusebio lib. 6. cap. 24. atque utroque Victore; imo eos videtur excessisse, siquidem extant duo ejus nummi apud Mediobarbum pag. 341. TR. P. VII. notati. Si exorsus est Imperium circa medium Junii ann. 238. illud prorogandum esset ultra eundem mensem ann. 244. quod repugnat legibus ante relatis, atque Inscriptioni Fabrettianæ, ex qua ejus obitum, atque initium Philippi in Majum antecedentem retraxi-

traximus. Atqui plenus ille annorum numerus, quem tradunt Scriptores memorati, tam ultra sex annos quam citra referri potest. Nummi vero percussi sunt Romæ ineunte anno septimo circa medium Junium, cum nondum nuncius ejus mortis allatus fuisset, quas ob res nihil obstat, quin exordium Gordiani Junio Mensi an. 238. finem vero adscribamus Majo an. 244. Ita a capite ad calcem Chronologia Cæsarum ab Elagabalo ad Gordianum & Philippum suis Cardinibus optime congruit; adeo ut exinde consequatur Elagabali interitum, atque initium Alexandri nullo aptiore tempore quam die undecima Martii ann. 222. collocari posse.

At vero inter hos temporum articulos, is qui mortem Maximini spectat, quam nos ad initium Aprilis retulimus, cum non levibus difficultatibus sit involutus, adhuc nobis firmandus est atque explicandus. Hoc ipsum quidem toto capite VIII. præstitit Valsechius, ut Vignolium confutaret, qui in primo opere ex Herodiano obitum Maximini in tempus æstivum contulerat. Sed Vignolius ab hac postea sententia in posteriore opere cum recessisset, omnia ea quæ tum longa disputatione asseruerat, vel præteriit vel abjecit, quod cum novis suis hypothesibus non convenirent, ut alibi monuimus: quo cum falsa ea esse, vel contemnenda fassus sit, poteram equidem ab iisdem retractandis abstinere; eo etiam quod Valsechius, ut dixi, egregie pensum istud exsolverit. Sed ratio argumenti postulat, ut tempus perquiram, quo Maximinus in Italiam contendit, quo Alpes Julias transivit, & Aquilejam obsidione tentavit, ut inde mortem ejus congrue collocari posse ad initium Aprilis confirmem. Rem itaque sic constituo.

Maximinus audita Afrorum defectione *tertio die milites alloquitur*, atque in Italiam *uno tantum die interjecto* facere iter incæpit, inquit Herodianus lib. VII. cap. 6. In Thracia tunc morabatur cum exercitu, teste Victore *de Cæsaribus*; qui addit propere eum in Italiam petiisse; nimirum statim ac audivit Afrorum defectionem. Romæ recitatæ sunt in Senatu literæ Gordiani die 27. Maii, a quo die intra unum aut

S 2 alte-

alterum mensem potuit in Thraciam deferri nuncius rebellionis ad Maximinum. Ergo circa exitum Julii iter in Italiam suscepit. Cardinalis Norisius apud Pagium ad an. 238. num. IV. observat, cum Maximinus *Solva*, non *Salva*, uti Pagius typographi errore scribit, Norici Urbe transiret, adulationis gratia Inscriptionem dicatam VICTORIAE AVG. Kal. Februariis eodem anno, apud Gruterum pag. CIV. 3. Eam Gruterus ex Wolfangi Lazii cap. V. lib. XII. de Rep. Romana cum suis mendis exscripsit, atque hujusmodi est.

VICTORIAE. AVG
SAC
: : FL. TACITVS. CALAE
AVG
: : SEL. MARTIVS
: : C. CONI. AEL. BRT
: : PRO. S. ET. S. VISO. OMIN
: : CL. M. KAL. FEBR
: : : PIO. ET. PONT
COS

Nuperi Editores Gruteri in tertio versu optime ex Scaligero legendum jubent *Calator* Augusti; sed non ita in quinto, *& suis nomine:* quod nihil significat. Relinquenda igitur sua lectio; nulla enim mutatione facta legendum, *Pro se* & *suis viso omine*, & in sequenti pro L. reposito I., C. I. M. nimirum, *Cai Julii Maximini*. Sensus itaque Inscriptionis hic est: Flavius Tacitus Calator Augusti & Sel. Martius Cornicularius Alæ Britannicæ adulationis gratia Inscriptionem dicatam: VICTORIAE AVGVSTAE: ita enim ii characteres sunt corrigendi; pro se & suis *viso omine*, fortasse per somnium, quod *omen* erat felicis expeditionis *C. Julii Maximini*, ob eam caussam *Victoriæ* ejusdem Augusti, *pro se*, *& suis* Commilitonibus, qui in omen ipsum conspirabant, monumentum hoc dicarunt, *Kal. Februarii*, *Pio & Pontiano Consulibus*, anno nempe 238. Certum itaque videtur, Maximi-

ximinum initio Februarii mensis Italiam propinquasse; eo enim tempore, qui Solvæ erant in hibernis milites, non longe prætereuntem susceptis votis salutarunt. *Solva* Norici Mediterranei urbs erat, *Flavium Solvense* Plinio lib. III. cap. 24. dicta, hodie *Solfeld* prope Clangenfurtum in Carinthia. A Thracia vero, unde ex Victore discessit Maximinus defectione Afrorum audita, recta via per Pannoniam pergens, cum Æmonam pertransiit, de qua meminit Herodianus lib. VIII. cap. I. hoc Maximini iter describens, non amplius quam millia passuum quadraginta ab urbe Solvensi aberat. In hac porro urbe stationem habuisse milites, præter Inscriptiones, quas refert Wolfangus Lazius de Rep. Rom. lib. XII. Cap. V. inter quas & nostra recitatur, aliæ etiam nuper circa eundem campum Soliensem erutæ, quarum memini in opere meo de Monumentis Veteris Antii, demonstrant. Eas vero, ne orationis cursum abrumpant, ad finem hujus capitis seponam; addamque ceteras iisdem in locis repertas, tum quod nondum sint editæ, tum etiam quod eruditis potissimum ob barbarorum nominum insolentiam, novitatis gratiam sint habituræ.

Itaque si Maximinus initio Februarii circa Æmonam erat, quæ urbs Italiæ fines proxime attingit, *Lubiana* nunc appellata, Sontium flumen, quod per aliquot dies, ut mox tradam, iter ejus intercepit, circa medium ejusdem Mensis, transgredi potuit: ut demus maximum hoc temporis intervallum difficultati itinerum, atque hiemis asperitati; cum ceteroquin ejus viæ, quam ego olim confeci, intercapedo tres dies sibi vix postulet; atque in Itinerario Antonini millibus passuum LXIV. definiatur.

Circa idem vero tempus obsidionem Aquilejæ aggressus est Maximinus; nam ab eo flumine, ubi pons erat, Aquileja duodecim tantummodo milliaribus abest, etiam Herodiano teste. Quod si medio Februario, obsidio Aquilejæ cœpta fuit; mensis unus cum dimidio qui superest usque ad finem Martii, ad quem retulimus mortem Maximini, satis

super-

ſuperque ſunt ad ea omnia perpetranda, quæ in eadem obſidione acciderunt, quæque Cl. Vignolius in priore opere diligenter deſcripſit.

Sed jam objecerat idem vir Clariſſimus pag. 81. non ante Aprilem vel Majum inceptam fuiſſe obſidionem, cum nives, quas, ut refert Herodianus lib. VIII. cap. 4. eo anno *longa hiems duraverat*, vix antea in ea regione potuerint eſſe ſolutæ. Hiſtorici verba ſunt: *Ut autem ad fluvium pervenit, qui ad lapidem duodecimum procul eſt ab urbe*, Aquileja, *invenit ipſum maxima alvei profunditate ac latitudine defluentem. Etenim anni tempore ſolutæ vicinarum montium nives, quas longa hiems duraverat, maximum torrentem effecerat, ſic ut nullo pacto tranſire exercitus poſſet.* Fluvius is Sontius eſt, nunc *Liſonzo*, qui a Plezianis montibus Goritiam præterfluens inde alluens Gradiſcam tribus ab Aquileja paſſuum millibus ad Orientem in mare delabitur. Hunc amnem inter regionis maximos numerandum, apud antiquiores Geographos Strabonem, Plinium, Ptolemæum, non reperies, quod illum cum Natiſone confuderint. At Natiſo alius eſt, quem Paulus Diaconus lib. V. cap. 23. ad Forumjulii collocat, hodieque nomen ipſiſſimum retinet, eandem urbem meam patriam interſecans, nobiliſſimo quadrati lapidis ponte utramque ripam jungente. In Sontium vero una cum Turro defluit, quod veterum errori cauſſam dedit. Jornandes de rebus Get. cap. 42. vocat *Natiſſam*. Mela lib. 2. c. 2. *ditem attingit Aquilejam*. Plinius lib. 3 c. 18. *Natiſo cum Turro præfluens Aquilejam*. Et licet Jornandes vocet Natiſſam, hæc eadem eſt ac Natiſo, ut in noſtris chartis, & præſertim in Chronico Juliani. Herodianus lib. 8. c. 2. in fin. ait, fluvium quem non nominat, præterfluere Aquilejam. Fluvius hic erat, quem poſtea memorat; ſcilicet Sontius. Ergo hic cum Natiſone & Turro attingebat Aquilejam. Prima Sontii mentio eſt apud Caſſiodorum lib. 1. Ep. 18. & Jornandem de rebus Geticis cap. 57. quo loci narrat Theodoricum per Sirmium, & Pannoniam recto itinere aſcendiſſe, & Venetiarum fines ingreſſum ad *pontem*

Son-

Sontium nuncupatum castrametatum fuisse. Paulus Diaconus in continuatione Eutropii lib. XV. narrans excidium Aquilejæ: *fuerat*, inquit, *in ea civitate feminarum nobilissima, Tugna nomine, forma quidem eximia, sed candore pudicitiæ amplius decorata. Hæc dum habitaculum supra ipsa urbis mœnia haberet, turremque excelsam suæ domui imminentem sub qua Natissa fluvius vitreis labitur fluentis*. Pius Pontifex in Decadum Blondi Epitome pag. 6. narrans hunc casum, fluvium non *Natissam*, sed *Natisonem* appellat & lib. XVI. idem Paulus narrans adventum Theodorici in Italiam: *per Sirmium Pannoniamque iter faciens ad Italiam venit. Ac primum juxta Sontium flumen, quod non longe ab Aquileja labitur, castra componens: . . . ibi ei cum grandi suorum exercitu totius Odoacer Italiæ viribus occurrit*. Ceterum pontem Sontii demoliti sunt Aquilejenses, ut viam eidem Maximino interciperent, quod *opus magnum*, inquit Herodianus lib. VIII. cap. 4., *atque pulcherrimum veteres Imperatores*, non Triumviri qui Coloniam Aquilejam deduxerunt, uti arbitratus est Palladius Rer. Forojul. lib. 3. pag. 38. & lib. VII. pag. 119., *lapide quadrato*, non uno fornice, ut idem auctor priore loco scribit, quod situm & latitudinem fluminis intuentibus incredibile fit, *sed pilis veluti quibusdam parvis sensim crescentibus, construxerant*. Pilarum vestigia inter Goritiam & Gradiscam, in loco qui *Mainiza* vocatur, nostri adhuc ostendunt. Porro post Maximini interitum Aquilejenses pontem Sontii refecisse ex Jornandis paullo ante allatis verbis constat.

Cum habeamus Maximinum pertransisse vicina Æmonæ loca circa initium Februarii, atque ob eam caussam accessus ad fluvium, de quo Herodianus, diferri non possit ultra medium ejusdem mensis, liquido apparet, eundem Herodianum, cum *anni tempore* solutas nives vicinorum montium scripsit, non intellexisse vernam tempestatem circa Majum mensem vel Junium, quo solent nives liquari; sed peculiarem temporis rationem seu certam aeris cælive temperiem, qua eorum montium nives solvi etiam medio Februa-

bruario potuerint. Quæ res cum a Cl. Valſechio cap. VIII. poſtremi operis pag. 73. egregie deducta fuerit ex verbis ipſis Herodiani *ἡ τοῦ ἔτους ὥρα anni tempus: quæ temporis ratio, qua ſolvi nives potuere*, pergit vir doctus, *perſpicuum eſt non ſolum a calore aeris, quod iis certe in locis adultum ver indicaret, ſed & ab ingruentibus pluviis, & a flantibus auſtris induci potuiſse; quibus vel media hieme nives liquari, fluviosque exinde turgeſcere & exundare quotidie videmus*. Hoc quoque ex noſtra pene certa obſervatione mirifice confirmatur. Nam eam *temporis rationem*, *qua ſolvi nives potuere*, *perſpicuum eſt*, ut iterum verbis ejus utar, petendam eſſe, *non a calore aeris* adulto vere nives liquante, *ſed ab ingruentibus pluviis*, *& a flantibus auſtris*, *quibus vel media hieme nives liquari*, *fluvioſque exinde turgeſcere & exundare quotidie videmus*. Aliter ſtare non poſſet, quod jam firmavimus, Maximinum *medio Februario* inveniſſe Sontium a nivibus ſolutis maximum torrentem effectum. At certe ſi ceteris fluviis, Sontio potiſſimum id accidere ſolet; qui ſepiſſime ut & ceteri provinciæ noſtræ Forojulienſis omnes, hiemis tempore in immenſum augetur, auſtrino vento nives ſolvente, ac pluvias copioſiſſimas ciente. Quod ita eſſe mihi nuper, cum Forum Julium patriam urbem inviſerem, quæ a Sontio duodecim fere milliaribus abeſt, teſtati ſunt viri ipſius fluminis accolæ; atque accidiſſe præſertim hieme ante præterita, ipſoque Januario menſe labentis hujus anni MDCCXVI. cum Sontius liquatis nivibus vicinorum montium ingenti aquarum mole turgeſcens, uti ripis & aggeribus minime continetur, in campos atque agros undequaque exundavit. Quod facilius & frequentius in Forojulienſis provinciæ fluminibus accidit, ob ejus regionis ſitum ac poſitionem. Alpes enim Juliæ, quæ eam provinciam in theatri modum undique ambiunt, recta objectæ ſunt Adriatico mari, quod cum in tota ſui longitudine in Auſtrum, imo Notopeliotem vergat, venti ab ea plaga flantes, qui non raro per hiemem immenſam vaporum copiam a pelago hauſtam longe lateque in oppoſitos

mon-

montes impellunt, atque in pluvias immodicas cogunt; & cum temperie ſua tepidiores ſint, nives iis incumbentes etiam liquant. Quapropter quandocunque hiberno tempore Auſtrales venti adſpirant, duplici ea de cauſſa ingens aquarum vis undequaque irrumpit. In aliis regionibus non ita frequenter, ſed tamen non raro amnes exundant hieme. Anno 1706. menſe ipſo Januario vidimus non longe ab hac Rhodigina urbe Padum adeo excreviſſe immaniter, ut non uno loco aggeres altiſſimos, quibus continetur, abſumpſerit, & latiſſime per uberrimos campos immenſum pelagus effuderit.

Mirum itaque eſſe nequit, medio Februario Sontium flumen nivibus ſolutis, quas non *longa*, ut Politianus interpretatur, ſed *tota hiems*, quæ idibus ipſis Februariis, ſecundum morem antiquorum finiebat, ut recte Valſechius monet, duraverat, maximum torrentem effeciſſe. Atque inde deducto initio obſidionis Aquilejæ, additoque etiam tempore, quo eam præmiſſæ a Maximino copiæ ante ipſius adventum tentaverant, recte ab Herodiano *diuturna atque inexplicabilis* vocari eadem obſidio potuit; uſque ad finem videlicet menſis Martii, quo a militibus Maximinus obtruncatus eſt. Quod erudite atque appoſite idem vir Clariſſimus explicat adverſus Cl. Vignolium, qui id objecerat, ut dilata obſidione Maximinum æſtivo tempore interemptum offerret. Nec minus ſolide confutat argumentum ejus alterum, ex diurna ſeu meridiana Maximini quiete petitum; tum quod verbum *quieſcere* quo hoc loco utitur Herodianus, non tam *dormire*, quam *vacare otio* ſignificet; tum etiam quod veteres meridiabantur quocunque anni tempore. In quam rem addam exemplum unum, quo Principes in Caſtris quoque & verno ipſo tempore, quo Maximinum credimus interfectum, meridiari ſolitos apparet. Cæſar cum Gergoviam obſideret, tanta celeritate hoſtium caſtra ingreſſus eſt, ait ipſe de bello Gall. lib. VII. cap. 19., *ut Theutomatus rex Nitiobrigum ſubito in tabernaculo oppreſsus, ut meridie conquieverat, ſuperiore corporis parte nudata, vulnerato equo, vix ſe ex manibus prædantium militum eriperet.*

Sublatis itaque iis impedimentis, quæ olim Vignolius objecerat, dein præterierat, nihil amplius obstat, quin Maximinum interfectum sanciamus sub exitum mensis Martii ann. 238. atque inde recedendo cum annis tribus & aliquot diebus, quibus in Imperio vixit, Alexandri obitum ad diem XX. ejusdem Martii ann. 235. figamus. Et demum ejus annis tredecim, diebusque novem computatis, Elagabali mortem, atque ipsius Alexandri initium undequaque multiplici argumentorum genere obfirmatum in diem XI. Martii an. 222. conferamus: quæ erat præcipua, & cum Cl. Vignolio longe lateque agitata hactenus disputatio.

Quod ita cum sit, spesque nulla supersit amplius eidem Clarissimo viro proferendi utrumque illum temporis cardinem ultra diem XVI. Maii, atque exinde explicandi Tribuniciam Pot. V., nobis contra, constituto tot præsidiis firmissimo illo diei undecimæ Martii munimento, hoc denique sedet animo, nummos Elagabali cum Trib. Potestate V. cusos ante eum diem extremum ejusdem Imperatoris, ut proximo die XVI. ejusdem mensis, quo ipsa Potestas quinta solemnibus Elagabali quinquennalibus instauranda erat, in populum spargerentur. Quæ latius explicata, atque a rationibus objectis sunt vindicata Capite VIII.



CAPUT XV.

Valsechii de initio Imperii Severi Alexandri *opus. Vignolii de hoc initio sententiam oppugnat. Ab se denuo proposita, iterum iisdem argumentis impugnatur, quæ & novis rationibus fulciuntur. Tria congiaria distribuit Elagabalus. De tempore & occasione tertii, non satis constat. Nisi quod datum apparet eodem Consulatu* II. *quo alii duo, hoc est ann.* 219., *in quo decurrebat Trib. Pot.* II., *atq. an.* II. *Imperii Elagabali. Hinc Valsechii Systema falsum. Ejusdem obiecta dissolvuntur. Frustra contendit, hæc congiaria Nicomediæ fuisse distributa. Quod incredibile ostenditur.*

ditur. Nummos ſic ſignatos pertinere ad congiaria Romæ diſtributa, non vero ad largitiones factas militibus Nicomediæ, iterum probatur. Donativa militum in nummis; item largitio facta militi & populo ſimul, quomodo dignoſcantur. In memoratis nummis adſunt ſigna congiarii diſtributi populo, non militibus. Hinc iterum falſum ejusdem Syſtema. Cur etiam incredibile. Nullum reperitur numiſma Elagabali, in quo numeri Trib. Pot. diſcrepent a numeris Conſulatus; niſi eo anno in quo Conſul non proceſſit; quod eveniret in ſuppoſito ejus Syſtemate, quod omnino deploratum eſt. Hinc objecta omnino inania ſunt. Quantumvis Elagabalus filius fuerit dictus Antonini, ac ſucceſſor; non inde ſequitur veriſimilis ratio, eum traxiſſe Imperii ſui initium a morte Caracallæ.

SED nihil hactenus effectum, ſi rebus Cl. Vignolii everſis, ſtet adhuc adverſarius alter, qui olim a nobis priore in Opere pro conclamato dimiſſus, inſtauratis nunc viribus rurſus in arenam deſcendit. Is eſt Virginius Valſechius, qui nuper, ut ante non ſemel dictum eſt, opus ſane eximium atque eruditum, *de Initio Imperii Severi Alexandri*, in lucem edidit; in quo cum eodem Vignolio ſibi præſertim diſceptandum ſuſcepit, quod ipſe indicat titulus, ut ejus de eodem initio Alexandri opinione convulſa, quo mihi ſocias manus adjunxit, ſuam deinde tueretur quam antea propoſuerat in libro alio, cui titulum fecerat *De M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunicia Poteſtate* V. Illius vero ad hanc Poteſtatem explicandam ſententiæ in eo ſtabat ratio, ut Elagabalus annos Imperii ſui, ac Tribuniciæ Poteſtatis numeraverit ab interitu Caracallæ. At ego in priore Diſſertatione *de Annis Imperii M. Antonini Elagabali*, novam hanc methodum exponendi Tribuniciam ejus Poteſtatem V. totis quatuor primis capitibus impugnaveram, atque argumenta omnia Cl. Viri continenti oratione disjeceram. Quapropter ille, poſtquam Vignolio, qui eandem molam verſaverat, ſatis ſe feciſſe arbitratus eſt, tela quoque mea retundere, & ſingu-

ſingulatim objecta adgreſſus eſt diſſolvere. Hæc vero objecta duplicis erant generis: quæ videlicet adverſus ejus rationes, quibus ſententiam ſuam ſuadere conabatur, protuli; ac quæ jugulum cauſſæ ſtatim petunt, atque ejus ſtructuram funditus evertunt. Priora, quæ in conjecturis utrimque compoſitis verſantur, prætereunda mihi ſunt; nam ſi poſterioribus vinco, res tota confecta eſt. Ac vincendum mihi eſſe, tam puto, quam quod maxime. Duo vero argumenta hæc erant, quibus potiſſimum Cl. Valſechii Syſtema oppugnabam: alterum quo illud plane falſum evincitur, alterum quo incredibile. Utrumque paucis comprehendam, & ea quæ V. C. obiecit, diſſolvam.

Quoniam explicandi erant nummi Elagabali cum Tribunicia Poteſtate V., neque annis ejus Imperii, quod a pugna cum Macrino non exceſſit annos tres, menſes novem, & dies quatuor, ut ſæpe diximus, idem numerus Poteſtatis quintæ aptari poſſet, arbitratus eſt Cl. Valſechius, Elagabalum numeraſſe annos ſuos a morte Caracallæ, qui ante Macrinum regnavit. Cum vero Caracalla fato functus fuerit die VIII. Aprilis anno Chr. 217. ab eo die numeratis annis Imperii ac Tribuniciæ Poteſtatis, quintus annus, & quinta Tribunicia Poteſtas inibat die VIII. Aprilis ann. 221. a quo tempore uſque ad interitum Elagabali initio Martii menſis ann. 222., cudi potuerunt nummi eadem Poteſtate V. inſigniti. Commodior certe ratio nulla inveniri poterat, qua difficultates omnes, quæ in hac controverſia agitantur, uno veluti ſpiritu exhauriantur. Quæ ego verba cum ante ſcripſiſſem alio in opere, mirifice iis delectatus eſt V. C., eaque ſemel, iterumque, ac tertio repetiit; non animadvertens quo figuræ colore a me prolata fuerint. Itaque commentum hoc ejus falſum omnino dixeram, atque ex ipſis nummis ab eo recitatis evictum. Nummi ſunt apud Mediobarbum ac Vaillantium, in quibus repræſentantur Congiaria duo ab Elagabalo diſtributa, in aliis ſub hac epigraphe: TR. P. II. COS. II. LIBERAL. AVG. in aliis vero: TR. P. II. COS. II. LIB. AVG. II. quibus nunc addo

alium

alium exibentem tertium Congiarium: TR. P. II. COS. II. LIB. AVG. III. Primum ex his Congiariis diſtribuit Elagabalus ſtatim ac Romam advenit: de quo luculentum eſt teſtimonium Herodiani lib. V. cap. 5. *quapropter*, inquit, *ut in Urbem pervenit*, *nihil ſcilicet novum Romani viderunt*, *inſueti jam picturæ*. *Diviſo igitur* CONGIARIO *in populum*, *ut mos eſt Imperium* INCIPIENTIBVS. Alterius eſt mentio apud Dionem, ſeu ejus excerptorem Xiphilinum, quod datum refert in nuptiis Corneliæ Paullæ: quas nuptias celebratas fuiſſe in eodem ſecundo Conſulatu, mecum conſentit Valſechius. De tempore & occaſione tertiæ liberalitatis nihil conſtat; niſi quod ex nummi Epigraphe recitata data apparet in eodem Conſulatu. Porro in Urbem pervenit Elagabalus poſt menſem Aprilem, nimirum ſub initium Julii, ut latius a nobis demonſtratum eſt, atque idem vir Clariſſimus fatetur. Poſt menſem igitur Aprilem in Conſulatu ſecundo, hoc eſt anno 219. labebatur Tribunicia Pot. II. atque annus ſecundus Imperii Elagabali. Atqui ſi ejus anni cœpti fuiſſent numerari a morte Caracallæ, nempe die VIII. Aprilis ann. 217., poſt Aprilem anni 219. non SECUNDA Tribunicia Poteſtas fuiſſet in curſu, ſed TERTIA. Falſum itaque eſt, Elagabalum computaſſe annos Imperii ſui a Caracallæ exceſſu. Hoc eorum eſt in genere argumentorum, quæ neceſſario evincunt; & facti, ut ajunt, evidentiam afferunt.

Perſenſit hoc vir doctus, atque etiam aliquando faſſus fuit. Sed quoniam de rei ſumma agebatur, & ne uno ictu, quæ ipſe tantis operibus ſtruxerat, labefactata conciderent, omnibus modis fulcienda ſibi eſſe conſtituit. Ergo Congiaria in memoratis nummis expreſſa, quæ lata diximus Romæ ab Elagalo poſt ſui adventum, novo & ingenioſo machinamento in Aſiam cogitavit transducere. Nimirum primo quærit, unde ego cum Vaillantio habeam, eos nummos ad Congiaria tributa Romæ pertinuiſſe? Notum deinde eſſe ait, liberalitatis nomine in nummis non ſolum Congiaria quæ populo, ſed & donativa quæ exercitui in bello diſpenſabantur, deſigna-

ri.

ri. Cur ergo, subdit, ad aliqua id genus donativa, quæ Nicomediæ, cum Kal. Januariis anni Chr. 219. Consulatum II. iniit, ac dein cum seditiones in Bythinia obortæ componendæ ei fuere, dedisse militibus Elagabalum non inverisimile, spectasse eæ liberalitates non potuere?

At mirum est profecto, Cl. virum a me quærere, unde habeam, Congiaria in nummis obsignata fuisse tributa Romæ, qui habeo testes amplissimos, Herodianum ac Dionem, sibi nequaquam ignotos, Congiaria duo fuisse ab Elagabalo distributa populo cum Romam pervenit; & non ego ab eo quæram potius, unde habeat, hæc ipsa Congiaria data fuisse militibus Nicomediæ, qui nullum prorsus auctorem habet testantem, concessa unquam donativa militibus, dum Imperator Nicomediæ morabatur? Hoc quidem absurdo se adspersum agnovit: sed, inquit, notum est, non omnia a Scriptoribus commemorari; & ad hæc Congiaria & Donativa quod attinet, persæpe Antiquarii ipsi observarunt, Historicorum de illis silentium a nummis, in quibus eadem repræsentantur, non raro suppleri. Sed nos silentes Historicos non habemus; quinimo clamat hinc Herodianus datum populo in sui adventu in Urbem Congiarium ab Elagabalo; inde Dio non multo postea in nuptiis Corneliæ Paullæ. Quis vero in animum inducat, Congiaria in nummis expressa non ea esse, quæ tam manifeste ab Historicis memorantur; sed ea esse, quæ nusquam reperiuntur, neque ulli uspiam Scriptori sunt cognita? Sed mirum hoc rursus accidit, extare nummos, ut viro Cl. placet, repræsentantes tres Liberalitates Elagabali tributas militibus in provincia remotissima; nullos vero extare nummos exhibentes duo Congiaria, quæ certo certius, Valsechio etiam fatente, ipsa in Urbe distributa sunt. Nam si extarent, signati essent, secundum docti viri hypothesim, Trib. Potestate III. Cos. II. Ejusmodi nummi nusquam visi sunt. Demum tres largitiones militibus dedisset Elagabalus in tribus mensibus, qui a Kalend. Januariis ann. 219. in quibus iniit alterum Consulatum, ad initium Aprilis, cum Nicomedia discessit, lapsi sunt: quæ

&

& ſine exemplo, & plane incredibilis res eſt; eo etiam maxime, quod non multo ante *acervos nummorum* largitus fuerat iisdem militibus, ut ſibi Imperium deferrent, Herodiano teſte lib. V. cap. 3. Adde his duo alia Congiaria tributa populo Romano in eodem Conſulatu ſecundo; jam quinque Congiaria uno eodemque anno vertente profudiſſet: quod rurſum & ſine exemplo eſt, & fidem prorſus excedit. Omnia hæc cum vera eſſe nequeant, ac ne quidem ſimilia veri, reſtat ut Congiaria in nummis ſignata ſub Trib. Poteſtare II. & Conſulatu II. non alibi quam Romæ diſtributa fuerint.

Sed quandoquidem petit a me iterum Valſechius, ut oſtendam, eos nummos ad Congiaria Romæ diſtributa referendos eſſe, non vero ad largitiones factas Nicomediæ militibus, ita illi morem geram, ut judicio oculorum res tota dirimenda ſit. Docent Antiquarii, & doctiſſimus inter eos Spanhemius de præſt. & uſu Numiſmatum Diſſertat. IX. pag. 822. donativa militum in iis nummis repræſentari, in quibus ante ſuggeſtum adſtant Prætoriani milites, aut in quibus figura ſtans dextera Congium, ſiniſtra Labarum tenet. Quam rem confirmant nummi, alter Septimii Severi apud Vaillant. tom. I. de nummis aur. & arg. p. 112. in quo inſcripta eſt LIBERALITAS AVGVSTI. *Imperator in ſubſtructione ſedet, hinc liberalitas, hinc figura* MILITARIS *ſtans, alia in imo;* alter Philippi apud Mediobarbum pag. 345. cum hac Epigraphe: LIBERALITAS. AVG. II. *duo Imperatores ſubſelliis inſidentes donativum diſtribuentes,* PRÆTORIANIS *adſtantibus.* At ſi largitio facta fuerit militi, ac populo, adſtat cum figura TOGATA, tum alia PALUDATA, uti cernimus in duobus nummis Alexandri apud eundem Mediobarbum p. 320. & 324. Datum vero aliquando Congiarium ſimul populo & militi docet Dio apud Xiphilinum initio lib. 76. loquens de Septimio Severo: *Severus autem poſtquam attigit decennium principatus ſui, Congiario populo, Prætorianisque militibus dato.*

Percurrat ergo oculis V. C. nummos noſtros, & videat, num miles aliquis adſtet; ut exinde inferre poſſit, liberalitates in ipſis expreſſas fuiſſe factas militibus. Ego vero non milites

tes video, sed utique figuram *togatam*, nempe ex populo Romano, apud Vaillantium tom. II. de nummis æreis pag. 136. qui eorum unum ita describit. LIBERAL. AUG. II. TR. POT. II. COS. II. *Imperator sedens in substructione, adstat Liberalitas, in imo alia figura* TOGATA. Et de nummis aur. & arg. pag. 287. LIB. AUG. II. COS. II. *Imperator sedet in suggestu, hinc Liberalitas, & inde Præfectus Prætorio stant*, ROMANUS *ascendit gradus*. Quæ liberalitas secunda data fuit decurrente Pot. Trib. II. ut in superiore, atque aliis nummis apparet . Rursus duo sunt nummi Elagabali apud Mediobarbum pag. 312. sub iisdem Tribunicia Pot. II. & Consulatu II. in quibus visitur *figura stans, dextra* CONGIUM, *sinistra Cornucopiæ*. Congium, nisi junctum sit cum Labaro, ut ante docuit nos Spanhemius , significat Congiarium dispensatum populo, non militibus. Ita cum nummi nostri nequaquam pertineant ad Donativa Militaria, sed ad Congiaria divisa in populum Romanum, nullum amplius Cl. Valsechio restat effugium, quin cogatur denuo fateri, systema suum de annis Elagabali ab interitu Caracallæ numeratis undique falsum esse.

Præterea illud quoque incredibile evincitur: quod alterum erat caput ante propositum. Nam si Elagabalus numerasset Tribuniciam Potestatem suam a die VIII. Aprilis anni 217. illamque instaurasset eodem die in annis subsequentibus, cogeremur dicere , per novem fere menses in singulos ex tribus annis Imperii, a Kal. Januariis ann. 219. ad Kal. anni 222. elapsis, & in totum per septem & viginti menses nullum fuisse percussum numisma, vel certe nullum ad nos pervenisse. Si enim ejusmodi numismata haberemus, discreparent numeri Trib. Potestatis a numeris Consulatus: nimirum anno 219. a die VIII. Aprilis, quo die ex hypothesi Valsechiana, Elagabalus iteravit Trib. Potestatem III. usque ad Kal. Januarias insequentes, signati essent nummi cum Trib. eadem Potestate III. & Consulatu II. ab Aprili anni 220. ad Januarium cum Trib. Pot. IV. & Cons. III. & tandem ab Aprili anni 221. ad Januarium anni 222. cum Potestate

V. &

v. & Conf. III. hoc enim anno Consulatum non inivit. At nusquam in universa rei nummariæ penu reperitur vel unum numisma Elagabali, quod exhibeat ejusmodi numeros Trib. Potestatis discrepantes cum Consulatu. Extant utique nummi, in quibus juncta est Trib. Potestas IV. cum Consulatu III. at isti pertinent ad annum 221. in quo Consul non processit, ut dixi, non vero ad annum 220. quod quidem objectum indicavit V. Cl. initio paginæ 189. sed statim deseruit, agnoscens nihil nobis officere. Ergo novem menses in primo anno 219. totidem in utroque duorum insequentium siluerunt monetariæ officinæ Elagabali, vel temporum invidia nobis unum aliquem ex iis nummis denegavit: cum ceteroquin ad nos trasmissi sint non minus quam sexaginta nummi apud Mediobarbum cum TR. POT. II. COS. II. & TR. P. III. & IV. COS. III. quos omnes dicendum esset fuisse cusos in solis illis tribus mensibus, qui in singulis tribus annis memoratis supersunt; nullum vero in septem & viginti mensibus: quod omnino est incredibile.

Quid ad hæc vir Clarissimus? Agnoscit difficultatem, eamque fatetur, *non exiguam systemati suo molestiam creare*. Propterea huc, atque illuc se vertit, ut perfugium aliquod nanciscatur: modo scilicet inculcat, argumenta quæ ex nummis petuntur, qui ad nostram notitiam non pervenere, incerta nonnunquam fallaciaque esse: dein difficultatem difficultati opponit, ac minori cuipiam incommodo, cui hæc sua obnoxia sunt, indulgeri aliquid postulat, in gratiam alterius gravioris difficultatis, quæ ex nummis Potestate V. signatis oritur: & demum nostras quoque conjecturas ad explicandam eandem Potestatem V. olim allatas suis minime carere incommodis objectat. Habeant vero & nostræ conjecturæ sua incommoda; quæ tamen pridem depulimus: sed quæ premunt Valsechii systema ejusmodi sunt, ut se ab iis relevare nunquam sperare possit. De uno autem, vel altero nummo non agitur, qui ad nostram notitiam non pervenerit; sed de tanto nummorum numero, quantum cui-

que putare liceat, cudi potuisse intra septem & viginti menses: quibus cum careamus, necesse est credere, nunquam extitisse. Atqui extant ferme sexaginta apud Mediobarbum, notis temporum numeralibus insigniti, quos cogitare omnes percussos fuisse intra novem menses, nullos vero percussos septem aliis & viginti mensibus, qui ex tribus annis, a Kal. Januariis ann. 219. ad Kalendas Jan. anni 222. supersunt, vel nullum ad nos fuisse transmissum, nemo qui in re antiquorum nummaria versatus est, sibi unquam persuadere poterit. Hæc vero non minoris, uti vocat V.C. incommodi res est; sed quæ gravissimam atque inextricabilem difficultatem affert, & nulla unquam indulgentia expiandam. Cum ergo nummos non habeamus, qui præseferant Potestatem III. cum Consulatu II. & Potestatem IV. & V. cum Consulatu III. consistere proinde nequit Systema Cl. Viri, quod per hujusmodi discordantes numeros procedere oportet.

Hæc cum ita se habeant, opus non esse arbitror cetera refellere, quæ in hoc capite XVII. regerit Cl. Valsechius adversus ea, quæ illi ego objeceram in prima Dissertatione, Nam si evidentissime semel falsum esse constat, atque iterum incredibile, Elagabalum numerasse annos Imperii sui, ac Tribuniciæ Potestatis ab interitu Caracallæ, alia omnia, quæ uterque nostrum dixerit, inania erunt ac supervacanea: nihil enim evidentia ipsa evidentius esse potest. Quamobrem nec vellem, ut tam fidenter nobis inculcasset p. 195. atque alibi, pro illa ejus conjectura de annis Elagabali cœptis ab exitu Caracallæ verum fundamentum adesse, veramque unum ex alio verisimiliter inferendi rationem elucere; eo quod revera Elagabalus Antonini Caracallæ filium se se jactabat, inscribebatque: hoc nomine milites eum elegerant, ad quod caput est, non Antonini modo filium, sed & ejus in Imperio successorum iidem milites declaraverant. Vera hæc sint profecto: sed verum esse nequit, exinde oriri verisimilem rationem, Elagabalum ipsum traxisse Imperii

rii

rii sui initium a morte Caracallæ. Nam rei evidentia excludit atque evertit similitudinem veri: & quantumvis Elagabalus filius fuerit dictus Antonini, ac successor; attamen ab Antonino exordium Imperii sui auspicatus non est, quia anni ejus in nummis notati nullo artificio aut ingenio ad exordium illud referri possunt.



I.

TI. CLAVD. TERTIVS. ET. POMPONI.
PROCVLA. TI. CLA. CVPITO. F. MIL.
LEG. XXI. V. F.

I I.

† lit. E deest. D. M. AVR. POTITVS. VET. AL. AVG. VEX†E.
ET. SVRILLA. TRITI. FIL. CON. KAR.
ET. SIBI.

I I I.

I. O. M. D. SEVERINVS. SILVINVS. ET.
AVR. BONIATVS. MIL. LEG. II ITAL.
SEVERI. V. S. L. L. M.

I V.

D. M. M. AVRELIVS. SECVNDINVS. MIL.
LEG. II. ITAL. STR. COS. V. F. S. ET. ARRIÆ.
VALENTINÆ. CONIVGI. KARISS. ET.
VALERIÆ. TVTÆ. CON. LIB. SCRIBEN.
CVRAVER.

V.

† addita est R IVLIO. APRILI. †TIB. CHORT. I. ASTV=
† loco L stat I RVM. STIP. XXII. CAVRVB†LENDONIS.
F. CON. V. F. ET. SIBI.

TAC-

V I.

TACCIVS. MARCVS. ET. SATVRNINA. SATVRNI=
NI. FIL. V. F. S. ET. ACCIO. MAXIMO.
FIL. PIENT. MIL. LEG. II. ITAL. FRVM.
AN. XXII.

V I I.

C. POMPONINVS. FELIX. V. F. BELA=
=TVLIÆDVNI. F. VXORI. ET. POPONIO
C. F. MARTIALI.

V I I I.

D. M. TIB. IVL. SENECIONI. O. ET. BELL.
AVTETÆ. TIB. IVL. ASPRENAS. ET.
TIB. IVL. IVLIANVS. PAREN. BENE.
MERENT. FECR.

I X.

DAPHINO. GIVLI. VOGITOVTILI. ET.
SECVNDÆ. VXORI. VIVÆ. ET. ASTERI.
ET. FRONTONI. VIVO. FILI. V. F.

X.

IOVI. DEPVLSORI. ET. NYMPHIS. q.
LVCCIVS. MAXIMVS. V. S. L. M.

X I.

C. ABALIO. PATAVI. F. M. VLPIVS.
SENECIO. FRATRI.

TER-

X I I.

TERTIO. CÆSARIS. L. CAVSIA. OCCI.
F. VXOR. V. F.

X I I I.

BARBIÆ. P. F. VERÆ. VXORI. P. TITIVS.
P. L. ADRITVS. SIBI. ET. SVIS V. L.
TITIO. P. F. CLEMENTI. AN. XII.

X I V.

SABINIA. HELENÆ. VIVA. F. SIBI. ET.
ÆLLIO. TERTIO. B. CONIVGI. OPTIMO.
ET. CASTO. F„. ANN. VIII.

X V.

C. SENESIVS. HERMES. SIBI. ET TERTIÆ.
VX. ET. ENICETI. FIL. ET. CORNELIO.
AROGO.

L. M E N A V D O N I V S
I· L· F L A C C V S

FRANCISCI TRECCII
ORATIO
IN FUNERE
PHILIPPI A TURRE
EPISCOPI ADRIENSIS.

Illustrissimo & Reverendissimo D.

JO. FRANCISCO BARBADICO
BRIXIÆ EPISCOPO.


A semper opinio nostra fuit, Joannes Francisce Barbadice, Præsul amplissime, ut ut res optimi moris, plenaque prudentis consilii sit, si quis forte publicis consignare litteris velit alicujus præclarissimi atque integerrimi viri laudes, illas emittere non in tutela, ac nomine alterius hominis, qui laudati dissimilis sit, dissimilitudo enim isti tacite obijceretur; sed alicujus, qui laudatum ipsum virtute æquiparet: ita enim par paris laudes tuetur, & dum unus laudatur duo laude digni indicantur. Quidquid de ipsa sentiant, ac judicent alii, nos in hac profecto sententia semper erimus: nunc vero præsertim ab ea ne tantulum quidem abire instituimus. Quapropter cum optimi, ac sapientissimi Antistitis Adriensis Philippi a Turre, qui dum ætatem ageret, eximium Italiæ nostræ ornamentum fuit, funebrem laudationem edituri jam simus, illam addici, & commendari tibi voluimus: in te enim qui vivum ac spirans perfecti Præsulis exemplum es, neutiquam disparem illius, qua Philippus adeo præluxit, virtutem agnoscimus, ac demiramur. Verum non hac tantum de caussa ipsam committimus præsidio, atque auctoritati tuæ. Committimus etiam, quia hanc tibi pergratam perque jucundam fore scimus. Illum enim amabas plurimum, plurimumque suspiciebas, & tuum ad illius consilium omnino ac prorsus accommodabas. Ut cetera missa faciamus, nonne desiderium ac consilium eruditissimi illius Præsulis explevisti, cum utilissimam Ecclesiasticæ Historiæ institui-

 stitui-

ſtituiſti atque adornaſti Academiam ? Nunc plane cognoſcis, quam opportune, quamque ſapienter hoc ipſe ſtudium Dei atque Eccleſiæ miniſtris proponeret ac ſuaderet, utpote emolumenti pleniſſimum. Ab eo certe ſtudio ad ſummam utilitatem, ac laudem adductus eſt Brixianæ Urbis Clerus, qui Tibi paret, Urbanus. Etenim præterquam quod haurit ex eodem ampliſſimam rerum omnium, quæ ad Eccleſiaſticam pertinent rem, notitiam, conciliavit etiam ſibi adprobationem, ac benevolentiam eruditorum, præcipueque nobiliſſimi, ac præſtabilibus ſcientiis ornatiſſimi viri, Scipionis Marchionis Maffeii, cujus conſilio, ac judicio laudate, ac ſapienter in expendendis doctiſſimis Academiæ ejuſdem diſceptationibus identidem uteris: cujus ex ore, quaſi alumni diſciplinæ ſuæ in Academica omni ſeſſione nos omnes pendemus: cui, ut admonet prægrande Venetæ nobilitatis decus, Abbas Antonius Contius (*a*), debet Itala Poetica perfectæ abſolutæque Tragædiæ exemplar, Equeſtris vero ordo Ethices ſuæ correctionem, illuſtrationemque: cui, ut (*b*) idem innuit, acceptam referet Italia conſervationem cuſtodiamque honoris illius, quem ipſa in liberalium artium inventione, & cultura luculenter indepta eſt: qui denique, ut alter junior Plinius, favet ſeculo (*c*), ne ſit ſterile, & effœtum, mireque cupit, ne nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulchrum, niſi imagines habeant. Verum non hic conquieſcis; ſed aliud Eccleſiæ tuæ ſuperjacis, atque addis utilitatis auctarium. Clerum ſcilicet ipſe tuum vocas, atque excitas tum ad optima, quæ jam reviviſcunt, ſtudia, tum ad illarum linguarum notionem, ac ſcientiam, quibus ſacra primum Biblia cum hominibus locuta ſunt; tum ad SS. Patrum, Sacrorumque Conciliorum, ac Dogmatum ite-

(*a*) In libro quem ipſe poſtremum Venetiis edidit anno 1716.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Vide Plin. lib. 5. epiſt. ad Spurinam.

iteratam frequentemque lectionem. Ad quæ omnia studia in Ecclesiastico ordine excitanda optabat flagrantissime (idem enim non semel ex eo audivimus) idem Adriensis Præsul, ut Episcopi omnes continenti cura, ac solertia suæ adhiberent scientiæ, atque auctoritatis incitamenta. Ita facis, ut nobis minus detrimentosa, minusque gravis mors Philippi a Turre videatur. Quæ quidem amissio præcipuo quodam luctu, ac mœrore prosequenda tamen est. Fortasse enim, si discedamus ab doctissimo ac celeberrimo Cardinali nostro Henrico Norisio, & si lubet etiam, a Venerabili, & sapientissimo itidem Cardinali Josepho Maria Thomasio, nemo per hosce annos in Italia mortem occubuit, qui Philippo litterarum, scientiarumque possessione, ac gloria antecelleret.

Quamobrem, ut optimo jure tantam Italia jacturam dolet; ita merito nos eandem mœremus graviore quadam, ac magis conspicua doloris significatione; Ille enim præclarum de civitate nostra judicium fecit, & amplissimis ipsam verbis ornavit, cum in ea decem dies levandi animi caussa commorari voluit: Nos vero & benignissime excepit; & aperuit nobis, quænam utilior esset, atque opportunior liberalium artium, ac studiorum via, atque ratio; nec defugit, qua mente benigna erat, dum minuta quædam nostra recitaremus, nobis aures faciles dare. Quare non est cur miretur quispiam si istud tanto, tamque bene de nobis merito viro, licet admodum tenue, doloris, & grati animi officium persolvimus. Quod ut in tutelam, ac præsidium suscipias tuum, te etiam atque etiam rogamus. Ita laus præstantissimi Antistitis alterius non dissimilis auctoritate defensa nihil sibi ab invidiæ, vel inscitiæ morsibus metuet. Deus immortalis facit, ut congruente virtuti tuæ dignitate, ac prœmio cumulere: certe tum ingrati esse, aut videri nolemus, ut omnino de te sileamus, qui tot nobis utilitatis fructus præbuisti; qui Ecclesiam nostram tot olim complexus es beneficiis; qui to-

tam denique urbem noſtram tuis erga illam plurimis, atque ampliſſimis meritis in perpetuum tibi obſtrinxiſti. Interea te obſecramus per illam, quam tamdiu experti ſumus, benignitatem, ac lenitatem tuam, ut nobis favere pergas, nosque certiſſimo illo tutiſſimoque præſidio tuo ſuſtineas ſemper, ac tueare.



IN FUNERE

PHILIPPI A TURRE PONTIFICIS ADRIENSIS.

ORATIO

FRANCISCI TRECCII.



Uam fallacia, & incerta ſibi plerunque promittant, qui humanarum rerum ſpe quandoque duci, ac proleĉtari patiuntur, vel ex ſolo, o Socii ornatiſſimi, qui noſtrum peĉtus effodit, quique nos mœſtes & conturbatos huc convocavit, graviſſimo, atque acerbiſſimo caſu cognoſci poteſt. Cum enim ſperaviſſemus in urbem noſtram, atque adeo intra hos Maſſejæ Domus dignitatis & ſtudiorum plenæ penetrales locos iterum recipere, iterum maxima, & ſingulari laude exornare divinam illam virtutem, illud immortali præconio dignum ingenium Philippi a Turre Pontificis Adrienſis; ecce repente quod in votis erat evanuit: ecce pene ſubita, ecce inopinata morte non ſine noſtro bonorumque omnium luĉtu, atque lacrymis, ille ſuis, ille nobis ereptus eſt. O miſeram fragilemque ſpem noſtram! O inanes expeĉtationes, & caduca noſtra conſilia! Carebimus igitur, atque in perpetuum carebimus approbatore, atque impulſore ſtudiorum noſtrorum, qui ut veræ virtutis iter, ſenſumque veræ laudis caperemus, quaſi quasdam, dum hic adeſſet, nobis ſermonis ſui faces admovit? Nunquam poſthac eximium illud Italiæ lumen, decus, & columen ſcientiarum omnium, præclarum Pontificii ordinis ornamentum excipiemus, coram intuebimur, alloquemur. Merito itaque privato luĉtu, diuturnoque,

que, qui index certus doloris eſt, ſilentio tanti amiſſionem viri doluimus ; merito & boni , & literarum ſtudiis dediti homines ipſius interitum collacrymarunt; merito conclavis hujus ipſi parietes, qui nunc alter fere annus eſt, illius præſentia, & hoſpitio lætari videbantur, modo ejusdem morte ſquallere, atque in triſtitiam diſcedere viſi ſunt. Sed quoniam omnes in irritum lamentationes noſtræ cadunt, & in cunctis, quæ quotidie uſuveniunt, Dei Optimi Maximi aquieſcendum eſt voluntati; ſatius erit, egregias Philippi a Turre laudes commemorando, mœrorem, quem nobis ipſius e terris abitio peperit, aliqua, ſi tamen poſſumus, ex parte lenire. Durum id quidem, atque infœlix tanti mœroris allevamentum eſt: quid enim aliud erit præclari Præſulis virtutem, ac præſtantiam commemorare, niſi renovare acerbum dolorem, & nova quaſi plaga primum grave vulnus conturbare? At vero, quoniam ipſius recordatio cogitationes animosque noſtros obſedit; & quoniam, ut ſimus erga illum grati, vocem & verba in publicam ejusdem laudem mecum omnino conferre, atque excitare conſtituiſtis; illud ſaltem ex hoc ſolatium reportabimus, quod nempe ille nobis & hominum laudibus, & ſtellifera dignus Cœleſtium ſede magis, magisq; declarabitur. Atque utinam illa animi incitatio, atque alacritas, qua illum tum in hoc ipſo Charitum receptaculo, perbrevi, & quæ bidui labor erat, orationem præſentem, benigneque audientem laudavi, meum nunc pectus incenderet; ſperarem profecto accuratiorem ipſi, & quæ magis plurimas ipſius virtutes deceret, me laudationem eſſe daturum. Nunc quando me, non exiguus de ejuſdem interitu dolor, & acres quotidianæque curæ diſtringunt, nihil mihi in præſentia ſuppetit ac præſto eſt ad dicendum præter ipſam dicendi, illumque ſermone concelebrandi voluntatem. Enitar tamen pro viribus; & quamcumque, quæ mihi obviam fiat, meumque retardet iter, arduitatem exorbere contendam. Sed jam campus ille latiſſimus patet: jam apparent illæ ferme immenſæ virtutum

ſege-

fegetes, quæ Philippi a Turre animum locupletarunt. Ingrediar: ex iifque nonnullas colligam; eafdemque vobis nova aliqua diftinctas laude proponam. Non tamen ingrediar, priufquam docuero, quibus ipfæ feminibus, ac fubfidiis ad tantam amplitudinem excitatæ fint. Nunc vos, quot quot adeftis, oro obteftorque, ut aures dicenti mihi intentas ac faciles detis; utque mihi luctuofum verborum munus Philippo a Turre perfolventi abactos a triftia paulisper animos adhibeatis.

In primis igitur fi Platonis (*a*), Ifocratis (*b*), Caij Cæfaris (*c*), fi veterum pene omnium Oratorum inftare veftigiis vellem, a me in laude ponenda effet illa, in qua plurimi iidem fuiffent, & per quam plurimum Philippus a Turre fulfit, patriæ, & generis claritudo. Sed ne quod notum, & apud omnes pervulgatum eft, multis perfequar; neve cum virtutis, quæ a me celebranda funt, bonis illa pariter, quæ fortunæ dicuntur, cafuque nobis obveniunt, conjungam; aliis hæc recenfenda, verbifque exquifitiffimis exornanda dimittam. Laudent igitur alii per nobilem Philippi patriam, Carnorum olim urbem, Forum Julij, tum quod ab Cajo Cæfare, uti dicitur, inftitutum, jus ab eodem obtinuerit Romanæ Civitatis; tum quod in Coloniæ prærogativam, & in Scaptiam tribum tranfiverit; tum quod municipium femper fuerit clariffimorum civium, atque optimorum. Laudent alii ampliffimam a Turre familiam, quod in ea & vetus nomen, & dignitatum continens feries & antiqui cenfus divitiæ, & cognationis illuftris nunquam intermiffum decus eluceat: nihil horum, nihil ego externum, nihil fortuitum Philippi laudibus adoptabo. Hæc ut fapientiffimus quifque, ita & Philippus propria virtutum luce fimiliter atque fidera (*d*) infixa coelo,

(*a*) Vide Platon. in Menex.
(*b*) Ifocrat. in Evag.
(*c*) Jul. Cæf. in fragm. Orat.
(*d*) Confule Cartef. p. 3. princip. n. 9.

cœlo, illustratus contempsit: sentiebat enim cum Plutarcho (*a*), virtutem sine loci delectu ubilibet radices jacere: nullumque aliud ab generis nobilitate manare bonum arbitrabatur, nisi præclaram illam necessitudinem, quam uti Boethius (*b*) quoque censuit, nobilibus ipsa viris imponit, majorum scilicet virtutem imitandi, minimeque ab ea deflectendi. Sit igitur mihi satis, quo ipse tempore, quibusque sit ortus parentibus significare. Natus est Philippus anno Christi CIƆIƆCLVII, Kal. Maji, patre Mario a Turre, matre Camilla Frumentina, utraque stirpe perquam nobilibus, dignisque, qui tali tantoque pignore donarentur. Et quoniam mentibus illis, quæ ingentes, atque optimæ sunt, ingens itidem, affabreque compactum natura solet plerumque elargiri domicilium, eo ut mens, & corpus harmoniaca (*c*) quadam secum proportione conveniant: non disimiliter magnum excelsumque Philippi animum superindui ipsa voluit. Natus idcirco est ea oris vultusque pulchritudine, & dignitate, ea proceritate corporis, ac conformatione, ut quicumque ipsum non modo, dum ætatis ver ageret, verum etiam dum senectutem jam adeptus esset, aspiceret, imaginem statim in illo quandam honestatis, atque ingenitæ virtutis agnosceret. Collocavit se jam tum puer totum in studiis, totumque in virtutibus, & solitudine: tantusque in eo eluxit impetus animi, tantus mentis ardor ad pietatem, ad literas, ad sapientiam, ut nemo tunc esset, qui tanquam ex herbescentium segetum culmis, quæ virtutis maturitas, & quantæ doctrinarum fruges essent in illo futuræ, facile non auguraretur. Latinis litteris in patria excultus, ibidemque in Philosophiæ tractatione laudabiliter exercitatus, cum nonnihil jam roboris accessisset ætati, Patavium abiit, ut in illa affluente plurimum studiis urbe

(*a*) Plutarch. in vita Demosth.
(*b*) Boeth. l. 3. de consol. Philosophiæ pr. 6.
(*c*) Ex Ficini doctr.

urbe litterarum, ſcientiarumque fontes non deguſtaret iterum, ſed hauriret. Ut porro ad votum res caderet, Somaſchenſis ſodalitatis ſe ſcholis addidit; ubi non ſine laude, brevique tempore (celerior enim, Tullio (*a*) teſte, virtutis curſus eſt quam ætatis) iterum Dialecticen, iterum Phyſices ſecretiora latibula colluſtravit. Ut vero Jurisprudentiam perciperet, in quam ingenii aciem, & induſtriam non mediocrem conferendam eſſe cenſebat, in Patavinum Athenæum, laurearum ſeminarium, atque officinam conceſſit. In iis itaque egregiis apprimeque hominum vitæ accommodis ſtudiis tam luculenter, tam feſtinanter, proceſſit, ut expleto nondum vigeſimo ætatis anno, cum ad ea, quæ de utroque jure requirebantur, imperturbate, diſerte, nec ſine omnium plauſu reſponderit, ſuffragiis omnibus deferentibus, duplicem lauream illam ſibi acquiſiverit, quæ amiſſura nunquam erat viriditatem. Non tamen hiſce, quos ſibi jam circumdederat, ſcientiarum quaſi cancellis circumſcribi tantummodo ac detineri ſuſtinuit; ſed ex ipſis digreſſus eo etiam, quo illius ad omnes diſciplinas accommodatum & docile ingenium propendebat, ſedulo feſtinavit. Conjunxit igitur, ut veterum morem æmularetur, graviora cum amœnioribus ſtudiis. Quamobrem modo ſe in nobilem jucundumque vetuſtatis ſeceſſum ſe deponebat, ut temporum vices, & ordinem, gentium facta, atque imperia, populorum mores, & bella cognoſceret: modo naturæ arcana per Philoſophorum veterum, nuperorumque veſtigia venabatur: modo ſacrarum literarum ardentiſſima correptus ſciendi ſiti hauſtum faciebat. Verum, ut his facilius, uberiorique cum fructu navaret operam, & ſublimibus, diviniſque Theologiæ inſtitutis animum conſecravit, & priſcorum a Platone, & Ariſtotele hominum more, ad Geometriæ ceterasque Mathematis incubuit diſciplinas; a quarum notione qui abſunt, abſunt etiam ab omni pene Phyſices intelligentia. Hiſce tot tan-

(*a*) Philip. 5.

tisque scientiarum, eruditionis, artium ingenuarum dives thesauris, non minori gaudio, quam quo institores, acquisita jam ingenti unionum gemmarumque copia, ad littus patrium appellunt, in patriam Philippus rediit: quin effusiorem illorum gaudio lætitiam animo alebat; noscebat enim nobilis adolescens bona se comparasse diuturniora, atque utiliora iis, quæ terra progignit, quæ tempus atterit, quæ aliena aviditas surripit, quæ sui subsidia atque instrumenta luxus perniciosus semper ambitus facit. Visum est tunc Forum Julii quasi emotum sedibus suis illi se se obviam ferre atque illum quodammodo amplecti velle; augurabatur enim, se in eo civem habiturum, qui non modo Pauli Diaconi, sed ceterorum quoque municipum, qui literarum gloria etiam tum floruerunt, famam præverteret, ac transvolaret. Consedit in patria, atque in avito lare ad viridioris ætatis flexum Philippus; ita tamen, ut neque ab ipso studiorum cursus vel paullum intermitteretur; neque pietatis ceterarumque ipsius virtutum gloria hæreret unquam ad metas. Quin, ut integrius expeditiusque iisdem vacaret, & obligari voluit sacerdotalis militiæ sacramento, & abdicatum a Patruo, qui plures eundem annos in illustris sacerdotii Collegio gesserat, Canonicatum inivit. Quid porro non suades o industriæ pervigil comes, & insignium laborum artifex, sciendi amor, atque cupiditas? Si non patrio studiorum congressuumque commercio mentis divitabat aciem Philippus, divitabat illam aliunde petito, atque externo. Ad amicitiam itaque se complurium litteratorum hominum contulit; ab iisque egregia mutuabatur, iisdemque vicissim reddebat splendidum aliud quidpiam. Quamobrem & alienigenis, & civibus suis in pretio habitus, idem omnibus charus erat, mutuisque animis amabat, amabatur: reverebatur ipse illos, illum ipsi reverebantur. At non ultra in patria degentem Philippum a Turre intuebimur. Jam undetricesimum transgressus annum, jam firmata, & aucta stirpe virtutis, e patria

ab-

abſceſſit, Romam adivit (*a*). Italiæ ſcilicet & omnium terrarum principi civitati, non Italiæ licet nobili municipio ſummum debebatur ingenium. Expectabant illum Romanæ Academiæ, atque Curiæ: expectabant illum Congregationes, quæ perpendunt, & cuſtodiunt diligentiſsime omnium momenta rituum juriumque ſacrorum. Ita Philippi a Turre virtutes, quæ in patria diutius quodammodo incluſæ, & conſtrictæ fuerant, ampliſſimum illud, in quo excurrere, ac triumphare poſſent, theatrum nactæ, ſubito ſe profudere, atque extulere univerſæ. Hic ego fidem meam non interpono: res ipſa loquitur. Vix dum Philippus Romam ingreditur, cum in auguſtam, cui Fidei divinæ propagandæ cura mandatur, Congregationem allegitur. Quis eas igitur virtutes in Philippo, illasque vivida etiam atque alta luce ſtatim prænituiſſe non affirmabit, cum certum, & ante ſit omnium, ut ita dicam, oculos, ſapientiſſimam Congreſſionem illam ad ſe arceſſere, atque admittere neminem præter eruditos, ſingularisque dignitatis, ac prudentiæ viros, præter eos, qui magnarum rerum, atque artium ſcientiam, virtutesque omnes in animum congeſſerunt. Quantam vero gravitatem, doctrinam, ſapientiam in ampliſſimo illius ordinis conſilio, atque in urbe univerſa prætulerit, paucis docere non poſſumus. Satis erit dixiſſe in iis illum ſe tantopere commendaſſe, ut aliæ Congreſſiones, & præclaræ illum ſibi Academiæ adjungerent: ut dignus, qui antiquæ triumviratum eruditionis una cum Raphaele Fabretto, ac Philippo Bonarotta gereret, habitus eſſet: ut doctiſſimi, atque extra omnem laudem Patres Purpurati, Henricus Noriſius, Carolus Auguſtinus Fabronus, Joſephus Renatus Imperialis ipſum in familiaritatem reciperent: & non ſolum beneficiis, ſed amore etiam, & perpetuo quodam judicio ſuo colerent, ac diligerent. Quin horum primus cum Philippo cogitationes, & conſilia ſua communicabat; poſtremus vero in Ferrarienſi

 Le-

(*a*) Anno 1687.

Legatione, quam laudatiſſime ſexennium egit, ipſum audiendis judicandisque ejus vice forenſibus cauſſis præfecit: quo in munere tam honeſte, ſapienterque ſe geſſit, ut integerrimum, ſummaque religione judicem Ferraria ipſum diceret: ejuſdemque judicia, tamquam juris ipſius oracula venerarerur. Magna profecto laus eſt ab eruditis hominibus, major a Purpuratis Patribus, maxima ab maximis Pontificibus diligi, ſuſpici, ornari. Nactus primam, ornatus altera, tertia item maxima, non caruit laude Philippus. Utrique enim Innocentio XI. ſcilicet ac XII. ſummis Pontificibus, quos idem nomen, perque erga Chriſtianam Rempublicam amor ac ſedulitas plurimum illuſtravit, tam acceptus, tam ingenii doctrinæque præſtantia commendatus fuit, ut primi colloquio non ſemel, & eidem morienti præſens aſtare dignatus ſit; alterius vero beneficiis, & iterata etiam laude inclaruerit; & tum maxime cum Pontificis ejuſdem tutelæ antiquæ illud eruditionis miraculum, librum de monumentis veteris Antii commendavit. Et vero aliis Philippus a Turre honoris inſignibus, & præſtantiorum quoque dignitatum titulis jam jamque auctus fuiſſet, niſi munificentiſſimus Pontifex paullo poſt mortem oppetiviſſet. Sed quæ Innocentius præmia adornabat, perſolvit illi ſapientiſsimus, atque optimus, quem Deus difficillimis hiſce temporibus ad Eccleſiam ſuam procurandam, ad diſpellendas errorum tenebras, ad Chriſtiani nominis hoſtibus exitium parandum inferendumque delegit, Pontifex Clemens XI. Hic cum dubitationibus illis, quas ſuper Epactarum, qui hoc ſeculo habendus erat, delectu (*a*), nonnulli ſapientes viri ad anteceſſorem Pontificem, paullo antequam vitam dimitteret, contulerant, facere ſatis inſtituiſſet, de Mathematicis peritiſſimum diſciplinis, duodecimvirale Collegium coagmentavit. Præfecit illi Henricum Noriſium, incomparabilem, & omnium ſcientiarum, omnigenæque vi-

(*a*) Conſule librum P. Thomæ Maffeii, e D. Dominici Sodalitio viri doctiſſimi, qui has dubitationes egregie expendit.

virum eruditionis, qui doctissimorum hominum, qui patriam nostram Romanæ purpuræ luce nobilitarunt (*a*), ætate quidem postremus fuit, sed gloria, & sapientiæ celebritate facile primus. Auxit optimus Pontifex Veronæ lætitiam, dum ad excipiendas secreto Collegii ejusdem consilia elegit alteram Veronæ spem, Franciscum Blanchinium, quem scientiæ omnes vel ab illo auctæ, vel excultæ apud Pontifices, Regesque commendant; quique inter alia æterni nominis opera confecit etiam in Romana Virginis Æde lineam illam maximam Meridianam, quæ clarissimum profecto est, continuoque cœlestis lucis allapsu comprobatum scientiæ suæ testimonium, ac monimentum. Num ergo exigua Veronæ laus est, duos tanti operis, tantique consilii administros uno eodemque tempore tanto tamque prudenti dedisse Pontifici? Interjecit igitur interjecit inter duodecim electissimos viros Clemens Philippum. Ita hunc & in Ecclesiæ edictis sanctionibusque egregie versatum, & syderum, totiusque cœli conversionis incitatissimæ intentissimum animadversorem, & ad sacrorum dierum computabiles vices certo, & qui omnis expers erroris esset, ordini assignandas aptissimum declaravit. Atque utinam res tanta, finitimis interpellata bellis, ad aliud translata tempus non fuisset, profecto quid in his omnibus Philippus mente potuisset didicissemus. Sed alia vidit, & approbavit eximius Pontifex in Philippo. Vidit egregias virtutes, quarum adeptio, ut divino Hieronymo Fracastorio placuit, difficilior est, quam scientiarum, excelsi nempe animi magnitudinem, magnaminitatem in dignitatibus tuendis. Aristo-

(*a*) Quatuor Cardinales Veronenses, Petrus Bona. an. 1164. creat. ab Alex. III. Adelardus Cattaneus 1183. a Lucio III. Gabriel Rangonus Minorita 1478. a Sisto IV. Henricus Norisius 1695. ab Innocentio XII. his addi possunt tres Cardinales Maffeii a Verona oriundi, Marcus Antonius, Bernardinus, Horatius.

ſtotelica (*a*) prudentiæ munia atque officia εὐβουλίαν, σύνεσιν, γνώμην nullis ceſſurum terroribus, nullis frangendum periculis, proque rei divinæ, & religionis amore in ardua omnia, atque aſpera paratum pectus, atque armatum. Enimvero quid aliud intelligi voluit, cum Philippum ſibi ad Sinarum imperium legare conſtituit? Nonne hæc omnia in eo requiruntur, cui mandatum ſit immenſæ pene magnitudinis navigare maria, longinquas, atque alio, ut ita dicam, Sole calentes terras adire, populorum veteres ritus, & mores expendere, Reges denique potentiſsimos ſuper his alloqui, ac convenire? Sed obſtitit Philippi a Turre affecta atque incommoda valetudo, quominus ipſe in remotis illis regionibus & e Republica Chriſtiana faceret, & ſuum, Italumque nomen magis, magiſque illuſtraret. Quid tum præſtantiſsimus Pontifex? Sinas, inquit, Turnonius adeat: Adrienſem Epiſcopatum Philippus ineat. Quantum lætata tum es, urbs quondam celebris Adria, quanta tum lætitia triumphaſti fœlix fortunatumque Rhodigium, cum talem primo ad vos nuncium rumoris aura apportavit: cum Præſulem tam pium, tam ſolertem, tam concordi hominum probatum voce primitus excepiſtis? Intra veſtra mœnia, atque intra tecta una cum illo advectam cenſuiſtis felicitatem, ſapientiam, virtutes omnes. Atque equidem, quemadmodum exoriens nobis Autumnus quidquid annus antea promiſerat elargitur; ita quodcunque ſpe ſumma a vobis ſperatum fuerat, vobis religioſiſsimus Præſul cumulatiſsime præſtitit. Ea ſemper enim vobis Philippus tribuit, ut plura a parente proficiſci non poſſent. Egit enim ſtatim, geſsitque ſemper Philippus omnia pro ingenio, ac conſuetudine ſua, ſancte ſcilicet, amanter, ingenue, moderate, liberaliter, continenter. Priſcis illis Eccleſiarum moderatoribus quam ſimillimus, quidquid egregii in Epiſco-

(*a*) Adi Ariſtotel. Ethic. lib. *6.* cap. 10. 11. 12. & Magn. mor. I.

ſcopis ut inſit Apoſtolus (*a*) vel præcipit, vel hortatur, mox omni tempore, ac ſupra cujuſque votum obtinuit, exhibuitque. Si enim omnino extra culpam eſſe Epiſcoporum munus, ac laus eſſe debet, quænam tam præceps calumnia dentata voce impetere auſa eſt illam, quam ſemper Philippus aluit auream morum integritatem, illam honeſtiſſimam, & laudatiſſimam vivendi rationem? Si vero ſuperbia (*b*), faſtidium, iracundia ab iiſdem quoque vitandæ, atque amandandæ ſunt, quis ab ſe illas magis cautim quam Philippus abarcuit? Quis ab illis felicius abſuit? Adeo modeſtum ſe, lenemque præbebat, ut aurea illa temperies animi admirationi omnibus eſſet, omnium ore collaudaretur. Quam vero præſtans, quamque uber illius in pauperes liberalitas? Eoſdem ipſe largiſſima ſemper manu fovebat, augebat, amplectebatur: & quoniam, ut Seneca (*c*) ſenſit, benignitas omnis properat, propriumque libenter facientis eſt cito facere, eorundem preces, ac poſtulata antevertens, ab iis ne rogari quidem ſuſtinebat. Nullum itaque majus in ipſius animo gaudium excitabatur, quam cum ab indigentium turba obſeſſas intuebatur fores; quam cum virginum pudorem dote caſſum, atque inlocabilem, dotali mox ornatum præſidio cœleſti addicebat, vel mortali connubio; quam cum ad incitas redactorum calamitatem, famemque profuſa ſtipe depellebat. Hæc ſunt, quæ Eccleſiarum Pontifices, hæc quæ Adrienſis commendat Præſulis nomen probitatis ornamenta, atque inſignia. Sed alia jam prodeunt, quæ non diſſimili ornantur gloriæ, atque amplitudinis laude. Vigilantia illa ſcilicet, qua ad Dei, & Eccleſiæ ſanctiones omnia revocabat, exigebatque; qua contendebat aſſidue, ne quid detrimenti grex caperet; qua rerum ignorationem ab Eccleſiaſticis, & diſſolutos, diffluenteſque mores arcebat; qua cuſtodiebat ſolertiſsime, atque adaugebat divini Numinis cultum, Xenodochianam curam, ſacrarum ædium nitorem. Juſtitia porro ſcelerum vin-

(*a*) In Epiſt. ad Timoth. & ad Titum. (*b*) D. Paulus ibid.
(*c*) l. 3. de benefic. c. 1.

vindex, & sacrorum jurium pervigil tutrix; digna illo pectore, tantæque custos dignitatis fortitudo; constans, & firma in animi non rectos impetus dominatio; amor in bonos, & singularis in eosdem munificentia; aliæ denique atque aliæ virtutes tam præclare in eo splendescebant, ut doctrinis etiam omnibus, quibus ornatissimus erat, lumen suum tenderent, ac porrigerent. Elucebat itaque in Philippo a Turre, sicuti in arca fœderis manna cum lege, una cum virtutibus animi admiranda, ac dives sapientia; utque in illis, ita in hac assiduus ipsius cultus elaborabat. Quodque admirari licet, neque hujusmodi cultura, neque pontificalis gubernatio, neque tantarum consideratio rerum adeo delassarunt unquam Philippi mentem, ut aliquando scriptioni etiam vacare non posset. Citra itaque ministerii studiique sacri dispendium plura scripsit, in quibus ipsius spirat imago, atque ingenium; in quibus elegantiarum omnium lautitiæ & omnis recti judicii norma. Enimvero quid pulcrius, & elegantius, quid ab aculeis contumeliarum alienius (late enim, ut inquit ille (*a*), lucere ignis, ut nihil urat, potest) quid prisca magis eruditione refertum est, cum Epistola, quam super Damascenorum epocha Anniæ Faustinæ numismati adjecta exaravit, tum Disceptatione, quam edidit de annis Imperii Elagabali, deque geminis Justini II. Consulatibus, eorumque initio, ad eundem Faustinæ nummum? Quid autem gravius, quid Philosophia ipsa dignius geminis illis epistolis, quarum prima lumbricorum originem, atque caussam; altera vero caussas item rimatur, cur obscuratio in Solis defectibus minor illa, quæ pro partium Solis obductarum rata portione producenda esse videretur, nobis appareat. O magna (hic aliquis cum Plinio (*b*) nostro exclamabit) o magna fœcunditas animi, quæ ad tam diversa, tamque utilia agenda, meditanda, scribenda valuit! Quid si aspiceret, legeret, admiraretur omnia quæcumque singulari præditus virtute Præsul litteris consignavit, nec adhuc in oculis habitant,

(*a*) Publ. Syr. 12. Select. sentent. (*b*) In Præfat. natur. Hist.

tant, expectationis magnæ, summi laboris monumenta? Aut nullam profecto diceret, aut si aliquam, omnino perexiguam a Philippo factam fuisse sacri muneris studiorumque intercapedinem. Et recte, verumque diceret. Semper enim alterutri intentus curæ, si quando animum paullisper remittere instituebat, non aliud sibi adjungebat solatii genus præter eruditorum colloquia, & consuetudinem. Quapropter vel Patavium se conferebat, ut germanæ litteraturæ vindicis Seminarii censui interesset; vel unum de sapientissimis, qui D. Dominici nobilissimum Sodalitium illustrant, Thomam Minorellum ad studiorum sermonisque accersebat communicationem; vel ad Rhodigii decus, Camillum Comitem Silvestrium, doctrina, scriptione, Musæo celebratissimum, vel ad alios, quos in oculis ferebat, sapientes, suique similes viros alio divertebat. Hic iterum memoriam meam subit ante Philippi quidem interitum jucunda, nunc vero acerba temporis illius recordatio, quo Antistes idem benignissimus ad amicum suum, litterarum scientiarumque lumen, ornamentum Italiæ, & qui in urbe nostra est, quod in oculis pupilla, aut in anima ratiocinatio, Scipionem Marchionem Maffejum advenit. O dies illos abeuntis Septembris (a), o noctes vere Atticas, quæ Philippum nobis dedistis, ut illum inviseremus, comitaremur, ut omnibus observantiæ officiis revereremur. Fulsistis nobis profecto candidi, cum illum Maffejam domum, portum atque arcem studiorum, Hebrææ, Græcæque linguæ magistrum, introeuntem conspeximus, cum illa prima, cum illa postrema ejus verba, cum sermones, cum ejusdem consultationes audivimus. Quam officiosa illius comitas, quam præclara illius sensa, quam liberalis, sapientibusque sententiis, ac verbis ornata ipsius quotidiana locutio fuerit, vobiscum ipsi recordamini. Mihi, vobis, cuique civium nostrorum, qui humanissimum Præsulem conveniret, & alloqueretur, antiquis se Athenis vivere, & cum priscorum sapientiæ antistitum aliquo sermonem conferere videbatur. Dixisses per

(a) Anni 1715.

eos dies Maffejos lares, qui Principum hoſpitio, & gratia, qui litteraria lauro, & bellicis trophæis, qui doctiſſimorum hominum frequentia florent, in Academiam converſos, ut inibi, tanquam in Muſarum domicilio, Philippi virtus & eruditio eniteſceret. Vix enim Scipionis vultum, cujus nomine ipſo recreabatur, egregius Antiſtes vidit, vix ipſius ædes magnificus hoſpes implevit; cum amoris lætitiæque perpaucis ultro citroque habitis verbis cum Maffejo ipſo in colloquium eruditiſſimum venit, & in multas horas produxit. Quid horas dixi? totos pene Philippus dies, in quibus inſigni illo hoſpitio uſus eſt, quando officiis vel erga Deum, vel erga eos, qui conſalutandi viſendique illum cauſſa confluebant, non detinebatur, conſilia, & ſermones ſuos cum Maffejo ſuo conferebat tam doctos, & varios, ut ἐγκυκλοπαιδίας ipſius voces, cuique, qui præſens aderat, audire videretur. Nec vero quis me dicat rem amplificare, atque ornare dicendo. Vos enim, vos ipſi tum crebro teſtes fuiſtis. Ipſe ego, qui ad utrumque aditu non ſemel dignatus fui ſive in Maffeiis conquieſcerent ædibus, ſive præſtantiora ædificia, & antiqua urbis monumenta conviſerent, plura ab utroque, ac ſæpenumero audivi & Theologiæ inſtituta, & placita Philoſophorum, & Matheſis probationes, & ſcita legumlatorum, & eruditionis momenta reconditioris. Quot innotuere tunc mihi utiliores libri, quot eorundem editiones accuratiores, quarum notitia neutiquam ab ſapientibus contemnenda eſt: illæ enim nobis, ut iis fidenter utamur, ſcriptorum ſenſa errorum liberata maculis tradunt. Tunc plane novi quam efficax, quamque acer eſſet ille ardor, qui pectus incendebat egregii Præſulis; qui ad excitandam optimis ſtudiis facem, & ad expergiſcendam, vindicandamque ab invidiæ morſibus Italicorum virtutem, Diarii Veneti editionem ſedulo procuravit; qui ſi quos adibat iiſdem vel ſcientiæ, & cognitionis amorem injicere, vel injectum augere, vel auctum ſolide commendare non deſinebat. Namque ubi vidit in patria, atque in adoleſcentibus noſtris tot noviter fervere præclara ſanaque ſtudia,

ab

ab laudibus abſtinere neutiquam potuit. Laudavit vos, o ingenioſiſſimi juvenes, quod uti Julius Cæſar (*a*) animadverſa apud Gaditanum Herculis templum magni Alexandri imagine, totus arſit amore bellicæ gloriæ, ſic vos priſcorum noſtrorum civium perſpecta ſcientia ac virtute, toti ardenter ad litteras, & ad optimas artes convolaſtis. Laudavit ampliſſima laude tantæ incœptorem perfectoremque utilitatis, Maffejum ſuum. Laudavit illum, quod eo ſcribente, atque hortante exulatum abiit omnis ineptia carminum, & quæ orationis infatuabant ſolutæ ſtylum, gerræ germanæ, atque equidem λῆροι λήρων: quod eo præeunte, ac ſuadente ſcientias, liberaleſque diſciplinas Veronenſes juvenes amplexi ſunt: quod ipſius cura, atque ſumptibus Græcæ (*b*) inter nos litteræ revixerunt; quæ, Cicerone teſte, plura ornamenta ſuppeditant, & conſuetudinem ſimiliter latine dicendi afferunt; quarum ſtudium amoremque ita in civitate noſtra fœliciſſimum illud ſæculum XVI aluit, ut quam plures cives noſtri & egregie Græce ſcriberent, & optime Græce loquerentur. Quanta vero benevolentia, quibusque exceperit non mediocris amoris ſignificationibus doctum, certumque antiquæ illius Græcæ virtutis teſtimonium, Panagiotum Presbyterum Sinopenſem, quem nonnullos ab hinc annos domi ſuæ Maffejus alit, ac detinet, ut Græco ſermone gratis imbuat, atque ornet patriam juventutem, nemo eſt, qui neſciat. Probavit ipſius doctrinam: amavit ejuſdem erga Catholicam Fidem ardentiſſimum ſtudium: audivit eum lubens refellentem accerrime quinquepartitam, quam Græcum ſchiſma conſtruxit, errorum claſſem: miſeratus eſt diuturnam, quam ex ſuis idem traxit, & quæ eundem in Maffejam domum, quaſi in oppoſitam fluctibus molem, impulſit, periculorum, moleſtiarumque procellam: ipſum denique, ut pote qui litteris, & probitate excultus erat, dignum, qui Epiſcopali aliqua inter ſuos infula diffulgeret, pronunciavit. Neque ſua laude caruit, dum non ſemel doctiſſimum Præſulem allocutus eſt, bene de patria meritus

(*a*) Sueton. in Jul. n. 7. (*b*) In Orat. de Aruſp. reſp.

civis, Octavius Alecchius, qui pariter atque Cato (*a*), librorum helluo, pariter atque Fabio memoratus Pollio (*b*), omnium horarum vir vocari merito & jure poteſt. Enimvero quis illaudatum dimitteret virum, in quo Hebrææ linguæ peritia, in quo rerum omnium patriarum notitia ſingularis, in quo omnigena, & digna præclaro homine eruditio? Sed aliæ, cur gauderet, & cur in laudes longius procederet, cauſſæ ornatiſſimo Præſuli ſubortæ ſunt. Ut enim inviſit integerrimum, & mitiſſimum, diligentiaque, conſilio, & virtute, commendatiſſimum, civitatis Antiſtitem noſtræ Marcum Gradonicum, ſtatim nobis gratulatus eſt; quod ſcilicet providentiſſimus Deus talem Veronenſi Eccleſiæ gubernatorem præpoſuiſſet, qui continenti illam vigilia, frequenti concione, liberali atque incredibili amore augeret, ac regeret; & iis paribus eandem cumulaturus eſſet, quæ in alias antea Eccleſias effuderat, ampliſſimis beneficiis: quod re ab eo præſtari in dies ſingulos & gaudemus, & experimur. Cum vero Academicos hortos, qui jam in Theatrum abibant, & Philarmonicæ ipſius Academiæ porticum, atriumque Philippus colluſtravit ingreſſus in ejuſdem aream, magnam gaudendi occaſionem nactus eſt: animadvertit enim plura, quæ pertinaciter tempori obluctabantur, & quæ, ut ipſe ajebat, tutioris eruditionis teſtes erant, ætatum atque hominum patria monumenta priſcorum. At impendio magis lætatus eſt, cum Maffejum audivit profitentem, ſe uſquequaque velle, (quod nemo unus antea ne excogitaverat quidem) alia fugientis antiquitatis monumenta, quam numeroſius poſſet, in aream eandem cogere; ibique in Academiæ decus & famam Muſæo exædificato, ab ætatis injuriis illa una cum cæteris prohibere, eademque ordinatim uno veluti libro colligare. Tum denique fuit, cum has humaniſſimi Præſulis voces audivimus: ſemper ad patriæ decus, ſemper ad Italiæ gloriam ſe porrigit, atque explicat Scipio; nihil illuſtre, nihil honorabile prætermittit. Sed o mortis invidum, atque acerrimum auſum, quod nobis invidit, atque abſtulit lætitiam

tiam

(*a*) Vide Cicer. l. 3. de Finib. (*b*) Fab. Quintil. l. 6. c. 4.

tiam illam voluptatemque, quæ nos in iterato Philippi adventu invasisset. Tunc enim ipse spoponderat, se huc iterum commigraturum, ut unum de locupletissimis, quæ Italia dinumerat, veterum lapidum receptaculis, expletum jam, atque auctum contemplaretur. Quid igitur de ipso, quod tam magnifice nunc excrevit monumento, in numero, atque auctario Adriensis Antistes non pronunciasset? Quam libenter nostratia, quam attente transmarina illa monumenta lectitasset, expendissetque! Maffejus enim præter quam quod illos, quos, pro ædium suarum vestibulo priscæ latinitatis variatos lapides, asservabat, ad eos, qui in Academica pridem area jacebant, jam traduxit, atque associavit; ratus aliquid rei, ac proposito deesse, si inter latinos Græci lapides desiderarentur, Venetias sponte concessit; hucque jam remigravit auctus viginti Græcis antiqui operis monumentis, quorum partim accesserunt illi ab Senatoribus amplissimis dona, partim non exiguo auri pretio comparavit. Quid si cruentum acerrimumque in barbaros bellum Orientis oras non præpediret? Magnam profecto turbam eorundem lapidum, qui ut illic colligerentur, idem non semel expetivit, hospitio & civitate donatam nostra nunc videremus. Certe quidem si Arundelliani Comitis ætati Maffejus suppar fuisset, non in tot Græcorum monumentorum possessione Anglia, atque Oxonii Academia apud eruditos optimo jure gloriaretur. Verum si non nuperrime ad nos delatos antiquos lapides, alia tamen Philippus a Turre vidit, quæ & illum maxima afficerent voluptate, & caussæ item forent, cur palam plura proferret, eruditionis suæ documenta. Admissus enim in Bivilaquæ domus atrium ab omnis officii studiosorumque diligentissimo Viro Gulielmo Ernesto Comite Bivilaqua, qui paucis ante diebus illum lautissime, atque eleganter in suo Bivilaquensi castro hospitatus fuerat, quæ gaudia non gavisus est, quos priscæ ætatis ritus ac mores manifestarios non fecit, cum id aspexit, quod multo clarissimus Marius Comes Bivilaqua, non tam delectationis caussa, quam ad invitationes adventusque eru-

eruditorum liberaliter comparaverat, quodque ab oculis, & memoria exterorum etiam tum abſuerat: pictas nempe tabulas, ærea ſigna, deorum aras, hermas, ſigilla, ſtatuas pariles, & cubitales, nobili factas & antiqua manu: quæ omnes vel εἴδωλα (*a*) ſunt, vel ξόανα (*b*), vel ἀνδριάντες (*c*), vel εἴκελα (*d*), vel denique βρέτεα (*e*). Quæ vero præclara ab eo non audivimus, vel cum ab optime de patria hiſtoria merito comite Ludovico Moſcardo congeſtum Muſæum introſpexit: vel cum animadvertit & numiſmata, & plures priſcarum gentium memorias, penes omnis antiquitatis, & præcipue Romanæ peritiſſimum, natum ſummo loco, ſummo conſilio, ſumma virtute, Gombertum Comitem Tuſtum; vel cum in inſigni, & ad patriæ utilitatem ab nobili & integerrimo cive, Joanne Saibantio extructa Bibliotheca tam magni ſumptus, tam feſtivam, & quæ in dies pæne ſingulos gliſcit, manu ſcriptorum codicum copiam vidit: vel cum in Clariſsimi Octolini Comitis Octolinii ſuccreſcente, optimiſque referta libris, Bibliotheca conſedit: vel denique cum veteres urbis arcus, cum Theatri cæmenta, ac veſtigia, cum utramque D. Zenonis Baſilicam, vetuſtiorem ſcilicet, ac Pipinianam; cum demum priſcæ argumentum magnificentiæ, faſtigium artis, unicam ferme victricem temporis molem, Amphitheatrum conſpexit. Hæc fuit Pontificalis oneris allevatio: hæ feriæ ſtudiorum: hæc a multimodis curis ceſſatio, quam hic tum ſibi præſtituit Philippus, atque irrogavit. Quæ fuerint ipſius vigiliæ, quæ ipſius ſolertia, quæ ſtudia, atque adminiſtratio ex hac operoſa, & illuſtri, quam ſibi ille inter nos dedit animi remiſsione, cognoſcite. Nihil eſt igitur quod miremur, ſi tantum a nobis abiens ſui deſiderium relinqueret: ſi tantum Adrienſis Eccleſia in ipſius reditu lætaretur. Eo enim ſtante ac manente in crediti ſibi gregis vigilia, non alia erat ejuſdem Eccleſiæ facies, quam ſereni Cæli, & nitentis. Quamobrem & amore, & virtute Antiſtitis ſui recrea-

ta,

(*a*) Statuæ Deorum. (*b*) Heroum. (*c*) Regum. (*d*) Sapientium.
(*e*) Benemeritorum. Vide Philandrum in annotat. ad Vitruv. l.2. c.8.

ta, diuturna inturbataque se se fruituram esse felicitate confidebat. Sed omnino ac repente tanta spes concidit. Dum enim Philippus singulari virtute, & illa, qua natus erat, mente cuncta, quæ ad Dei pertinebant cultum, & Præsulis indesidis munus, procurabat, levem primo, mox mortiferum morbum contra omnium votum nactus est. Accessit enim illi in primis continens sitis, quam per bimensis spatium nulla potuit potio finire, atque excedere. Illam statim subsecuta est, urinæ reddendæ difficultas; vel quia (uti Celsus (a) dixisset) urinæ iter senectute collapsum esset, vel quia calculus, aut concretum aliquid ex sanguine intus se opponeret; vel quia inflammatio aliqua eam reddi naturaliter prohiberet. Doluit ipse paullo post levi ac lenta febricula, quam, quia curationem admittere, & ab dysuria ipsa excitari putaretur, & ipse (ut Scipioni Maffejo per epistolam indicavit) & medici pariter contempserunt: in hac per plures dies sine ullo mentis metu consumpsit; cum subito tanta in eum vis morbi prorupit, ut sacramentis omnibus solummodo præmuniri atque armari ipsi datum sit, non autem testamentum condere, vel remediis uti, quæ ad illum quæsiverat nobilissimus, atque optimus Medicus, Antonius Vallisnerius, qui celerius quam opportunius e Patavino Lyceo ad amatissimi Præsulis auxilium devocatus accurrerat. Philippus igitur divinis stipatus subsidiis, morbo autem tali, qui cæcus cum Columella (b) vocari poterat, correptus; cum illius ætas studiis, & episcopalibus contrita curis, nondum anni sexagesimi limen attigisset; cumque dies V. Kal. Martii eluxisset (o Adrianis, Rhodiginis, Forojuliensibus Italis, scientiis omnibus funestum diem!) ab hominibus demigravit. O Adria o Rhodigium qualis quantusque tunc vester luctus ac mœror? Certe si summam jacturam par dolor sequitur, summum profecto vos collegisse dolorem credendum est, dum Præsulem, qui nullum erga vos unquam amoris summi ac pietatis officium prætermiserat inopinantibus vobis ademptum morte vidistis. Vos quidem quasi gravissimo, & inexpectato percussæ

vul-

(a) Cornelius. Cels. l. 7. c. 26. (b) Lib. 1. de re rustica. c. 3.

vulnere, totæ in squalorem mœstitiamque compositæ in luctu, lacrymis, lamentationibus jacuistis. Ut autem præclaram doloris gratique animi significationem daretis, in ipsius funeris pompam, & atratos lugubriter cives ad septuaginta, & omnes ad unum summates equestris ordinis, & maximam vulgi frequentiam, & pauperum cœtus, quos larga semper ipse ope sustentaverat, vocavistis. Quid igitur aliud restat, nisi ut unanimes parique voto laudem nomenque integerrimi ac sapientissimi Præsulis memoriæ tradamus hominum sempiternæ. Hem Philippe a Turre quantus ex morte tua, & tuis, & nobis incessit luctus, & dolor. Tu, ut quidem spes nobis est, ad immortalem Dei sedem, & ad totam simul & perfectam interminandæ vitæ possessionem evolasti. Tu in laude ac litteris, tu in scientiis atque virtutibus ætatem omnem degisti. Tu quamvis ereptus fueris, cum mediæ jam jam ostium senectutis ingredereris, satis tamen amplitudini, satis claritati, satis gloriæ vixisti. Tu te ita semper egisti ut ornamenta, præstantioresque te dignitates expeterent, ut omnes certatim tibi, quem possent, honorem publice haberent, ut natum esse te cives gauderent tui, iidemque te ab hominibus discessisse nunc doleant, atque ingemiscant. Quamobrem nihil quicquam est, quod tua nos sorte, tuaque caussa mœreamus. Dolemus quidem: sed incommodo, ac detrimento, quod ex tui suscepimus amissione, dolemus. Dolet etiam Italia, quia eximium lumen, dolent litteræ, quia cultorem sui laudatissimum, dolet Ecclesia, quia optimum ac sapientissimum veritatis suæ propugnatorem, defensoremque perdidit. Sed rerum omnium æterni moderatoris decreta æquo a nobis animo ferenda sunt: *Ipse enim Deus*, monente divino Vate, *juxta voluntatem suam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ* (a), *& non est qui resistat manui ejus, & dicat quare fecisti?* Nos interea, quoniam aliis te adire officiis nequimus & in memoria tua (utrumque enim tantummodo possumus) diligentes erimus, & desiderium tui perpetuo plausu ac laude leniemus.

F I N I S.

(a) Dan. c. 4.

